Vol. III. — Fasc. III. 15 iunii 1928.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

III.

NOVEMBRI 1927–MAIO 1928.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

Quoniam ex hac nova Curiae domo nunc primum ad vos scribo, vestra me optata praevenire putaverim, si ante omnia has totius Societatis aedes vere paternas, quantum per litteras licet, breviter describere contendam.

De nova Curiae domo.

1. — Ad clivum Ianiculi montis, inter ecclesiam Sancti Spiritus et magnum Sancti Petri forum, novum aedificium exsurgit. In quatuor veluti partes seu domos diversas extrinsecus est distinctum, Consilio tuendis artibus in Urbe praeposito id iubente, ne una eademque facies per tantam longitudinem, quamquam non recta linea, continenter producta, intuentium oculis satietatem fastidiumve pariat. Intrinsecus vero omnes partes ita inter se coniunguntur, ut nihil externae diversitatis appareat et una revera sit videaturque domus. Ex quatuor hisce partibus duae tantum hucusque perfectae sunt in iisque, facta quadam precaria cubiculorum ad tempus distributione, in praesentia habitamus; ex reliquis duabus, altera in eo est ut habitari possit, altera a perfectione non multum abest. Magistri et machinatores fuerunt ac sunt dominus Iosephus Gualandi, peritissimus architectus bononiensis, et noster P. Petrus Basterra (Prov. Castell.).

Totum aedificium, quod supra viae fastigium ad viginti quatuor circiter metra assurgit, centum nonaginta metra, angulum fere rectum efformans, producitur: alterum anguli latus a meridie ad septemtriones, orientem prospiciens, secundum viam,

quae a Basilicae Vaticanae Poenitentiariis nomen mutuatur, a via tamen retractum, extenditur; alterum ab oriente ad occidentem, secundum viam quae, a nosocomio et ecclesia Spiritus Sancti, *Borgo Santo Spirito* nuncupatur. Bina haec aedificii latera, ubi inter se continguntur, ex parte orientali praecipuam domus frontem efformant, eamque tenet mediam pulchra Beatissimae Virginis a Strata imago, ante quam lampas vi electrica perpetuo collucens ponetur; culmen vero alba marmorea tabula exornat, in qua leguntur:

A. M. D. G.
ANNO DOMINI
MCMXXVII

Domus exteriora contemplati, ab interioribus perlustrandis nunc abstinere patiamini: opportunius enim duco novam eamque stabilem internam Curiae distributionem tunc demum describere, cum reliquae duae aedium partes, interim nobis imperviae et fabrorum malleis scalprisque adhuc resonantes, perfectae erunt. Tunc etiam cavaedium et hortum invisemus atque totam Urbem ex amplissimo solario circumspiciemus.

Ne tamen ab ingressu vos prohibere videar, iam nunc vestibulum penetremus, non ea quidem ianua usi, quae primo obtutu praecipua apparet, quamque prioribus mensibus revera adhibuimus (1), sed ea quae dextrorsum est, numero 5 notata. Ingressuris sacellum semipublicum e regione aperietur, quod Sancto Societatis Praeposito Generali Francisco Borgiae dicabitur.

Novarum aedium brevis historia.

2. — Nova Curiae domus in ea exsurgit Urbis parte, quae antiquitus Ager Vaticanus vocabatur, haud longe a Neronianis hortis, unde " primitias suorum Martyrum Romana Ecclesia, fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum „ (2); quin et ipse Apostolorum Princeps hinc ad caelum evolavit atque hic tamquam firmissima Ecclesiae petra stat eius sepulcrum gloriosum: vix enim octo momenta distamus ab in-

(1) Propterea novae domus inscriptio primum indicata haec erat: *Borgo S. Spirito, 4;* deinde, cum altera ianua uti coeperimus, mutata est in *Borgo Santo Spirito, 5.* — Quod ideo hic commemorandum putamus, quia plerique mutationem numeri 4 in 5 mirati sunt et etiam nunc nonnulli huius mutationis non satis videntur rationem habere.

(2) *Martyrolog. Rom.*, die 24 iunii.

gressu Basilicae S. Petri. De priscis vero temporibus nihil fere intra nostram aream superest, nisi magnae quaedam cryptae viscera montis permeantes et pauca antiquae cuiusdam gallo-romanae domus rudera, quae in summa horti parte prope Villam Barberiniam cernuntur quaeque intacta servabuntur.

Post prima aevi christiani saecula tota haec regio monasteriis, hospitiis, templis, ab Anglo-Saxonibus aliisque Saxoniae gentis peregrinis potissimum erectis, ita erat referta, ut deinceps *Sássia* passim dicta sit et etiam nunc dicatur (1). Ut v. g. ecclesia Sancti Spiritus *in Sássia* vocatur, forte quia eodem loco surgit, quo Ina, Angliae occidentalis Rex, Scholam Anglorum, S. Gregorio II approbante, anno 725 erexerat; item parva ecclesia, nobis ad occasum, versus forum S. Petri, contigua, Sanctis Michaeli Archangelo et Magno Episcopo dicata, cuius prima exstructio Carolo Magno tribuitur cuiusque pulcherrima ac perantiqua turris campanaria vix non in finibus nostri cavaedii se attollit, *San Michele in Sássia* vulgo appellatur, vel, etsi rarius, *San Michele dei Frisoni*. Ex quo vero S. Leo IV, medio saeculo IX, hanc Urbis partem magnis moenibus circumsaepsit eamque veluti pontificiam arcem effecit, *Urbs Leonina* coepta est nuncupari et ad haec usque tempora hoc nomine haud raro designatur.

Huius Leoninae Urbis retexere historiam meum non est: quod autem ad nos propius attinet, iam inde ab anno 1570 Societas hac regione sedem fixit, cum S. Pius V onus honoremque Poenitentiariae Basilicae Vaticanae, S. Francisco Borgia frustra obsistente, Nostris demandatum voluit, quod munus ad suppressionem usque Societas retinuit. Poenitentiariorum Collegio aliquamdiu Rector praefuit B. Robertus Bellarmino, paulo antequam Cardinalis renuntiaretur (2). Post restitutam Societatem, Nostri in hanc eandem aream, in qua nunc habitamus, anno demum 1880 venerunt: en autem qualis fuerit occasio. Expulsa ab invasoribus

(1) Eandem originem aiunt esse tribuendam nomini *Borgo* (ex voce *Burg*), quo vulgo appellantur omnes viae circa Vaticanum: *Borgo Vecchio*, *Borgo Nuovo*, *Borgo Pio*, *Borgo Angelico*, *Borgo Santo Spirito*, etc.

(2) Poenitentiariorum aedes, usque ad medium saeculum XVII, non eae erant quae deinceps usque nunc iis sunt assignatae, quaeque viae nobis contiguae nomen dederunt, sed propius Basilicam Vaticanam exstabant et destrui debuerunt ut magno S. Petri foro hodierna forma tribui posset. — Cfr. Ehrle, *Dalle carte e dai disegni di Virgilio Spada* (in *Atti della Pont. Acad. Rom. di Archeologia, Serie III, Memorie vol.* 2, 1927), *Tavola V.*

anno 1873 e Collegio Romano Societate, P. Angelus Secchi (Prov. Rom.), ob eam famam, qua apud omnes laude florebat, in eiusdem Collegii Romani Observatorio astronomico cum suis adiutoribus manere iussus est, ibique die 26 februarii 1878 pie in Domino obiit. Sed eius socius et successor, P. Gaspar Stanislaus Ferrari (Prov. Rom.), paulo post, id est die 3 iunii eiusdem anni, vi ex Observatorio eiectus, in Collegium Tusculanum (*Mondragone*) confugit, ubi, ne inceptas lucubrationes intermitteret, parvam quandam speculam instruxit. Interea P. Maximilianus Massimo (Prov. Rom.), in Urbe notissimus, aptiorem sedem Romae acquirendam curavit, eaque fuit parva domus in *Borgo Santo Spirito n. 12* sita, ubi die 12 octobris 1880 Residentia coepta est. Mox alia domus a priore perbrevi areae tractu disiuncta et colli Ianiculensi propius applicata, quae *Villa Cecchini* ab eiusdem nominis familia nuncupabatur, nomine Sanctae Sedis acquiri potuit in eaque cum priore per cuniculum coniuncta Domus Exercitiorum Provinciae Romanae, quae ad Sancti Eusebii usque ad annum 1873 habebatur, restituta est. In eiusdem domus eminentiore tranquillioreque parte annis 1885–1887 haud parvis molitionibus erectus est mobilis tholus astronomicis inspectionibus habendis, qui, a multis iam annis vacuus (nam Specula haec nostra exeunte saeculo XIX derelicta est) et tam diuturna incuria pessumdatus, etiam nunc, post dirutam, ut novis aedibus locus daretur, illam domum, quasi postrema praeteriti temporis umbra in medio horto se extollit, mox in aliam formam instaurandus et ad alios usus destinandus.

Residentia et Domus Exercitiorum, in qua inter alios diu habitavit tunc Pater, nunc Eminentissimus Cardinalis Franciscus Ehrle (Prov. Germ. Sup.), ab anno 1916 clausa erat, eamque penitus relinquere cogitabant Nostri. Cum autem alia complura loca, ad domum Curiae Societatis aedificandam explorata vel conquisita, variis de causis non apta visa fuissent, cumque tamen necessitas novae sedis Praeposito Generali eiusque adiutoribus inveniendae magis in dies urgeret, re mature considerata, hanc aream Pater Noster, alio contiguo fundo empto amplificatam, Summo Pontifice aperte approbante, ad Curiae aedes exstruendas destinavit.

Primum novae domus lapidem, ut alias vobis relatum est (1), die festo SS. Cordis Iesu, 8 iunii 1923, RR. DD. Camillus Cac-

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1923, pag. 67.

cia Dominioni, Praefectus Cubiculi Secreti Pontificis, consecravit posuitque. Magnae deinde exortae difficultates a semel prudenter inito consilio deterrere non potuerunt Patrem Nostrum, quin totis viribus ad eas superandas animum applicaret: nec frustra, nam huic negotio divina Providentia praesentissima semper adfuit. Ut unum commemorem, cum novum aedificium coeptum est, miserrimae quaedam casae nobis finitimae erant, quae, nisi redimi potuissent, magnam nobis molestiam creassent, et tamen haud multa effulgebat spes eas venumdatum iri; praeterea ingentes profundaeque cryptae in visceribus montis antiquitus excavatae, quarum supra memini, cum iisdem casis communicabant, ita ut nostrarum aedium fundamenta, nobis insciis, in alienis cuniculis ex parte iacerentur. Sed mox eae domunculae sub hastam publicam venerunt, nullisque concurrentibus aemulis, vel potius iis qui concurrere volebant pro sua erga Societatem benevolentia sponte recedentibus, aequo pretio etiam illud nobis perutile solum acquirere potuimus, et ad usum nostrum accommodare.

Aliud difficultatum caput ex ipsa loci natura oriebatur: nam humus, labentibus saeculis e colle decidens, instabile solum effecerat, et parvam aedificando aream reliquerat. Huic quidem incommodo occursum est oblongam potius quam quadratam aedificio formam tribuendo, illi vero altissima fundamenta, alicubi ad duodeviginti usque metra, deiiciendo et superiorem humum horto destinatam firmissimo muro continendo, ea fere ratione, qua Sixtus V, saeculo XVI, in hac eadem regione, ex parte iam praestiterat, nec sine fructu, ut inscriptio uni ex illis casis, de quibus supra dixi, commemorat, quamque hic, non modo ad posterorum memoriam, sed etiam grati animi causa, exscribendam esse ducimus, siquidem illius muri firmitate nos quoque etiam nunc nonnihil fruimur tuemurque:

IVSSV OPTIMI PRINCIPIS SIXTI P. M. VRBEM
ROMAM PASSIM MAGNIFICENTISSIMIS
OPERIBVS EXORNANTIS

RVPEM MONTIS S. SPVS IN VIAM PVBLICAM RVENTEM
SAXIS TERRA COENO REPLENTEM FVNDAMENTIS ANTE
A IO. BAPTISTA RVINO BONONIEN.
PRAECEPTORE IACTIS

ANT. MELIORIVS PICENVS EPS S. MARCI SVCCESSOR MVRO
FIRMISSIMO FVLSIT MVNIVIT AEDIFICIIS ORNAVIT
MDLXXXVIII.

Curiae in novam sedem commigratio.

3. — Mense novembri superioris anni 1927, quamquam non omnia perfecta erant, censuit Pater Noster iam tempus advenisse, quo Curia Societatis in novas aedes commigraret. Ut alias diximus (1), iam inde ab ineunte iunio illuc praecesserat parva quaedam communitas, quae mensibus augusto et octobri aliis nonnullis Patribus Fratribusque aucta est (2). Pater Noster die 30 novembris, reliqui omnes (praeter P. Procuratorem Generalem eiusque Socium Coadiutorem, qui serius huc se contulerunt), diebus 28 novembris et sequentibus usque ad 7 decembris, turmatim e Collegio Germanico-Hungarico in novam sedem venimus. Sed antequam hospitalem illam domum relinqueremus, eius Superiores et alumni, sollemni academia die 27 novembris habita, palam profiteri voluerunt quanto cum dolore a se avelli cernerent Societatis ducem, quem suum quoque Patrem, utpote Sancti Ignatii Conditoris successorem, agnoscerent. Reposuit Pater Noster Societatem semper in aevum grato animo esse memoraturam quod Collegium Germanicum exsulem Curiam Praepositi Generalis, suis aedibus orbatam, tanto cum amore nec sine proprio incommodo triginta annos eoque amplius hospitio recepisset.

Et sane, e Romana Domo Professa ad SS. Nominis Iesu anno 1873 Societate expulsa, Praepositus Generalis cum Assistentibus aliisque suis adiutoribus Faesulas primum prope Florentiam in Etruria secessit, ibique in antiquo Hieronymitarum monasterio, quod paucis ante annis P. Aloisius Ricàsoli (Prov. Rom.) pro dispersa Residentia Florentina emendum curaverat, Societatis Curia quietam vitam degit usque ad finem anni 1894. Sed ineunte anno 1895 R. P. Ludovicus Martin, secundum commendationem a Congregatione Generali XXIV sibi factam (3), Romam remigravit et suam suorumque officialium sedem fixit in quadam Collegii Germanici-Hungarici parte, angusta ea quidem primis mensibus, at eo ipso anno haud parum aucta post pium obitum Eminentissimi Cardinalis Pauli Melchers († 14 dec. 1895), Coloniensium olim Archiepiscopi et strenui Ecclesiae iurium propugnatoris, qui in eodem Collegio degebat quique non ita pridem ex consensu Summi Pontificis per sollemnem quatuor votorum

(1) V. supra, pag. 51.
(2) V. supra, pp. 100, 102.
(3) Congr. Gen. XXIV, decr. 8.

professionem in Societatem, secreto tunc tamen, cooptatus fuerat (1). Item annis 1900 et 1907, aliis duobus e Societate Patribus Cardinalibus Camillo Mazzella († 26 mart. 1900) et Andrea Steinhuber († 15 oct. 1907), eiusdem Collegii hospitibus, vita functis, eorum diaetae ad Curiae usum addictae sunt, sicque commodius deinceps, etsi semper anguste, crescentibus gubernandae Societatis necessitatibus satis fieri potuit, donec aptiorem hanc sedem Deus nobis concederet.

Itaque, die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., 8 decembris 1927, tota demum Curiae communitate huc congregata, novam domum Pater Noster, singulas contignationes pertransiens, lustrali aqua aspersit, cumque, omnibus Patribus ac Fratribus eum comitantibus, ad summas scalas pervenisset, ubi SS. Cordis Iesu simulacrum eminet, totius Curiae consecrationem eidem SS. Cordi anno 1919 iam factam (2) rursus instauravit secundum formulam, quam, ad gratam rei memoriam, infra referemus (3).

Deo igitur amplissimae sint grates, quod Societatis domus princeps, post amplius quinquaginta quatuor annos, quibus alieno hospitio uti cogebatur, propriam tandem habitationem habere potuit. Post Deum vero hoc beneficium, quod in magnum totius Societatis commodum profecto cedet, Patri Nostro acceptum referamus oportet, qui illud et firmiter voluit et per se ipse indefessis curis promovit et vehementer urgere non destitit.

Illustres visitatores.

4. — Inter complures magnae notae viros, qui Patrem Nostrum et hanc novam Curiae sedem superioribus mensibus inviserunt, praeter Patres Cardinales aliosque Praesules haud paucos sive Romae residentes sive aliunde Romam adventantes, peculiari ra-

(1) In atrio Collegii Germanici effigiem tanti viri marmore expressam R. P. Franciscus Xaverius Wernz ponendam curavit, sub qua haec verba insculpta leguntur:

PAULO MELCHERS S. I.
VENERANDO COLONIENSIUM ANTISTITI
INVICTO ECCLESIASTICAE LIBERTATIS VINDICI
SODALI SUO PROFESSO DIGNISSIMO
QUI HOC IN COLLEGIO PERDIU VIXIT PIEQUE OBIIT
SOCIETAS IESU POSUIT
A. D. MCMX.

(2) *Memorab. S. I.*, vol. I, 1919, pag. 168.

(3) V. infra, pag. 194.

tione memorandus videtur princeps Ludovicus Potenziani Spada, Urbis Gubernator, qui cum die 31 decembris in templo SS. Nominis Iesu eucharistico hymno " Te Deum „ utpote supremus Urbis magistratus ex officio adesset, colloquens dein cum Patre Nostro, sponte se ad novam nostram habitationem invisendam obtulit. Quod promissum die 26 ianuarii magna cum benevolentia exsolvit, duas fere horas per domum et hortum circumiens, Patrem Nostrum attente audiens et amice identidem interrogans. — Post aliquot hebdomadas idem praestitit etiam Urbis Vice-Gubernator, comes Carolus D'Ancora.

Generalis Humbertus Nobile, de cuius sorte nuper diu trepidavimus omnes, antequam fortunosum per aera capesseret iter, bis Patrem Nostrum invisit: primum quidem, die 31 decembris, ut ei librum prioris sui itineris vices enarrantem deferret; rursus vero mense martio, ut expeditionis comitem et capellanum impetraret quendam e Nostris; ad quod munus, ut iam ephemerides longe lateque nuntiarunt, selectus est Pater Iosephus Gianfranceschi (Prov. Rom.), Universitatis Gregorianae Rector idemque Pontificiae Academiae Scientiarum Praeses. — Dum vobis haec scribo, nondum dissipata est tristitiae nubes, quae, post gloriosam Crucis in Polum Borealem demissionem, fortissimum ac pium ducem aeronautam eiusque socios involvit; sed iam firmior affulget spes fore ut eos brevi sospites redeuntes salutare possimus.

Nuntii varii.

5. — Ad alia nunc convertendus esset sermo et plurima ea quidem; sed ad proximum fasciculum remittere cogor, ne tertius hic longiorem moram patiatur. Mihi tamen temperare non possum quin vobiscum, Reverendi Patres Fratresque carissimi, laetum nuntium communicem, quem die 9 maii Summus Pontifex, statim ac Ipse acceperat, Patri Nostro per Rev. D. Carolum Confalonieri, Sanctitati Suae a secretis, afferendum curavit: id est, ineunte mense maio, quo mense, secundum intentiones missionarias universis Apostolatus Orationis sodalibus propositas, pro Iaponiae conversione orandum erat, Universitatem nostram Catholicam Tokyensem (Prov. Germ. Inf.) a gubernio Iaponico tandem probatam fuisse et omnibus iuribus atque alias Universitates instructam; quod, ut Beatissimus Pater paulo post cuidam Episcopo Armeno sponte dixit, ad Iapones Christo lucrandos plurimum conferet.

Quam Hierosolymitanam Instituti Biblici domum superioribus litteris dixeram Gubernatori Anglico proh dolor locatum iri (1), ea paulo post, amoto non sine divino Numine locationis periculo, libera gavisi sumus et mox Professores alumnosque ad sacras disciplinas intimius perscrutandas Hierosolymas petituros excipiet.

Viceprovincia Brasiliae Meridionalis, ante duos annos erecta, tam prospere, Deo favente, in dies progreditur, ut digna visa sit quae ad Provinciae dignitatem et iura eveheretur; quod praestitit Pater Noster decreto die 17 octobris 1927 lato ac die festo Immaculatae Conceptionis promulgato.

Denique iam nunc vobis scitu gratum erit Societatis Sodales ineunte hoc anno 1928 omnino 20.636 numerari, id est 529 auctos esse. Si quis autem perpendat quod " sanguis Martyrum semen est Christianorum „, laetabitur quidem, sed non mirabitur quod Provincia Mexicana, quae anno superiore glorioso P. Michaelis Augustini Pro est decorata sanguine (2), hoc anno 14 sociorum augmentum habuerit, maximum scilicet ex quo illa Provincia est restituta.

Attamen haec eadem Provincia, ut notum est, iniquis etiam nunc impetitur insectationibus, quae, quamquam Catholicorum animum non frangunt, difficillimam tamen et paene impossibilem reddunt vitam, Sacerdotum praesertim ac Religiosorum. Quo ergo impensius oremus pro fratribus media tempestate laborantibus, liceat hic unius e Superioribus localibus verba referre, reticitis, prudentiae causa, loco et nomine scribentis: " Die prima " iulii anni nuper elapsi, ut statutum est, litteras misi ad Pater- " nitatem Vestram. Fortasse amissae sunt. A die illa, Reveren- " dissime Pater, multae et magnae tribulationes super nos et " super domum nostram. Continuo timore agitati, maximis cir- " cumdati periculis, ab invicem necessario separati, die ac nocte " vigilantes ut inimicorum insidias evadere possimus, Sacrum " facientes sine tranquillitate et valde mane ne ab hostibus dete- " gamur (ubique enim auctoritatum vigiles inveniuntur, quos " inter et femina et pueri numerantur), dormientes sine pace, in " silentio manducantes et fere in sepulcris latentes. — Haec est, " amantissime Pater, vita nostra. Fateor Paternitati Vestrae: iam " mihi taedet vivere ..., cupio dissolvi. Nulla spes humana. Solus " Deus eiusque Beatissima Mater possunt nos eripere a tantis

(1) V. supra, pag. 74.
(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 711–713.

" calamitatibus. Tamen non cessamus laborare etiam cum vitae " periculo. Mittat Vestra Reverenda Paternitas super nos bene- " dictionem suam, ut possimus usque ad mortem sustinere ".

Ita ille die 1 ianuarii huius anni ad Patrem Nostrum scribebat, nulloque talia indigent commentario.

Vestrum omnium sanctis Sacrificiis et precibus me enixe commendo.

Romae, die festo SS. Cordi Iesu,
15 iunii 1928.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

DE VARIIS CURIAE PRAEPOSITI GENERALIS DOMICILIIS AB ANNO 1873 AD ANNUM 1928.

Quoniam, Deo favente, novam nunc eamque aptissimam et, quantum humanarum rerum conditio patietur, stabilem sedem Praepositus Generalis eiusque administri rursus acquisierunt, non ingratum Nostris fore putamus brevem hic conspectum proponere domesticae historiae et peregrinationum Curiae Societatis, ab anno quo e Domo Professa Romana expulsa est, usque ad faustum diem 8 decembris 1927, quo in novis aedibus propriis est constituta (1). In communibus enim Societatis nuntiis haec obiter tantum tangi potuerunt (2).

Curia in exsilium pellitur (anno 1873).

Anno 1873, die 4 martii, Romanae Domus Professae ad SS. Nominis Iesu maior pars a Gubernio Italico occupatur. Mense maio, iniqua lege supprimuntur in Italia omnes Religiosorum Ordines eorumque bona Statui addicuntur. Societas nominatim illa lege impetebatur, sed usque ad mensem octobrem Nostri sat tranquille in parte Domus Professae ipsis relicta degere potuerunt.

(1) Has notas historicas depromimus e domesticis diariis, e catalogis aliisque coaevis documentis atque potissimum, quod ad commorationem Faesulanam pertinet, ex *Memoirs of S. Girolamo, Fiesole, from 1873 to 1893*, a P. Petro Chandlery (Prov. Angl.), tunc Secretarii Substituto pro Assistentia Angliae, diligenter collectis ac primum editis in *Letters and Notices* (annis 1897-1900) et deinde in opusculum redactis. — Praeterea, quoniam illorum annorum testem adhuc superstitem habemus, Fr. Coad. Ignatium Banquells, qui ab anno 1880 usque nunc in Curia degit, hunc quoque carissimum senem de multis interrogare non omisimus.

(2) V. supra, pag. 118.

Sed ecce, die 20 octobris, Gubernii administri ad iniquam illam legem intimandam et urgendam venturi nuntiantur. Adm. R. P. Petrus Beckx, de PP. Assistentium-consilio, iam summo mane e Domo Professa abest. Veniunt illi hora 9ª : Secretarius Societatis, P. Torquatus Armellini, nomine Praepositi Generalis contra iniustam nostrorum bonorum direptionem protestatur, e scriptis conceptam ad id formulam legens. At frustra: fit quidem singulis Nostris facultas propria manuscripta aliaque ad personae cultum pertinentia secum auferendi; sed tota domus a die 1 novembris vacua relinquenda esse edicitur. Cubicula S. P. Ignatii a spoliatione liberari potuerunt; reliqua omnis suppellex mense novembri sub hastam publicam venit et Iudaeis potissimum emptoribus tradita. Interea, die 27 octobris R. P. Beckx dilectam Domum Societatis principem non sine lacrimis relinquit et in Collegium Belgicum secedit.

Post triduum, die 30 octobris, simul cum P. Antonio M. Anderledy, Germaniae Assistente, et Socio Coadiutore Fr. Ernesto Guggeri (Prov. Rom.), comitante etiam Reverendissimo Domino Victore Van den Braden de Reeth, Collegii Belgici Rectore, Florentiam petit, indeque postridie Faesulas, quo brevi reliqui Curiae Patres Fratresque optimum Patrem secuti, sunt praeter Procuratorem Generalem et Postulatorem causarum NN. VV., qui Romae ad negotia facilius agenda permanserunt (1). Florentiae, cum Pater Generalis tum alii complures e Nostris hisce exsulibus, eximia cum caritate excipiebantur a nobili familia Ricàsoli et praesertim ab equite Alberto, cuius patruus, noster P. Aloisius Ricàsoli (Prov. Rom.), tunc Florentinae Residentiae dispersae Superior, de Curia convenienti hospitio providenda optime meruit.

In Domo Faesulana S. Hieronymi (1873–1895).

Quem nuper memoravimus, P. Aloisius Ricàsoli, iam inde ab anno 1864–1865, ope et nomine clarissimae suae familiae, usibus dispersae Residentiae Florentinae acquisierat antiquum Hieronymitarum monasterium Faesulanum, supra collem in extremo hoc oppido Florentiam versus situm, illudque expulsis Curiae sociis libentissime commodavit.

(1) Romae aliquamdiu remanserunt etiam Societatis Secretarius (P. Torquatus Armellini) et duo Patres Substituti; sed hi deinde Faesulas petierunt, ubi etiam ab anno 1884 continenter resedit novus Societatis Secretarius P. Antonius Rota.

Itaque, die 31 octobris 1873, Missa in sacello domestico aedium dominorum Ricàsoli summo mane celebrata, R. P. Beckx cum P. Anderledy et Fr. Guggeri, P. Aloisio Ricàsoli comitante, Faesulas profiscitur et hospitalem domum ingressus est, in qua Societatis Curiae viginti duos fere annos degendum erat. Domui adnectitur ecclesia S. Hieronymo dicata, in qua sacris ministeriis, quantum prudentia ob rerum adiuncta necessario adhibenda et negotiorum pondus sinebant, Patres indulgere poterant (1). Faesulani Antistites, quotquot illam S. Romuli et S. Andreae Corsini sedem iis annis occuparunt, erga exsulem Societatis Moderatorem eiusque socios optime affectos sese exhibuerunt; item uterque civitatis clerus. Visitatores quoque illustres bene multi illam solitudinem identidem adibant: Eminentissimi Cardinales, Praesules, Viri principes aliique; inter quos serenissimi principes Borboniae gentis, ipseque D. Carolus, Hispaniarum regni aemulus heres. E Purpuratis Patribus qui non semel *Salita San Girolamo* conscenderunt, grati animi ergo meminisse liceat Em. Card. Iacobi Cattani, Ravennatis Archiepiscopi, qui pulcherrimum altare Patri Generali dono dedit, quod deinceps semper in sacello domestico nostrae Curiae servatum est.

Nostrorum communitas, quae initio anni 1874 quatuordecim Patribus et octo Fratribus constabat (3), saepius renovata est quod

(1) Etiam sollemnes caeremoniae pro populo quandoque habebantur, et in annalibus domesticis saepe recurrit nomen Fr. Coad. Iosephi Lizargarate (Prov. Castell.), eximie pulsantis organa.

(2) Ex Catalogo Prov. Romanae ineunte anno 1874, haec erat tunc Curia Societatis (Patres 14, Fratres 8, Univ. 23):

A. R. P. N. Petrus Beckx, *Praep. Gen. a die 2 iul. 1853.*

Assistentes quinque: PP. Felix Sopranis (Italiae), Antonius Anderledy (Germaniae), Ambrosius Rubillon (Galliae), Emmanuel Gil (Hispaniae), Alfredus Weld (Angliae); hic, nuper Assistens Angliae nominatus pro P. Ioanne Ffrench Romae vita functo die 21 maii 1873, in Curiam iam Faesulis constitutam venerat die 10 novembris 1873.

Secretarius Societatis: P. Torquatus Armellini (aliquamdiu Romae mansit).

Procurator Generalis: P. Iosephus Betti (Romae mansit).

Postulator Causarum NN. VV.: P. Iosephus Boero (Romae mansit).

Substituti Secretarii: PP. Felix Massaruti (Italiae), Paulus Pierling (Germaniae), Iosephus Laurençot (Galliae), Iosephus Saderra (Hispaniae), Georgius Lambert (Angliae).

Fratres Coadiutores: Ernestus Guggeri, Angelus Pietropaoli, Augustus M. Celli, Gulielmus Müller, Iosephus Lizargarate, Petrus Parravicini, Philippus Iannarelli, Salvator Sprega.

ad personas (1), sed sociorum numerum toto illo vicennio haud multum auxit (2). Identidem, ut facile coniici potest, P. Generalis Romam ad negotia componenda vel ad Summum Pontificem adeundum petebat, et tunc Nostros per Urbem huc illuc dispersos invisere curabat. Superiorem domus Faesulanae ipse Praepositus Generalis agebat; sed anno 1892, dum Loyolae celebrabatur Congregatio Generalis XXIV, Faesulis constitutus est Superior P. Aloisius Rosa (Prov. Rom.), qui eodem munere fungi perseveravit etiam post novi Praepositi Generalis reditum ex Hispania, donec Curia Romam translata est.

Longum est omnes recensere sive laetas sive adversas vices quibus tranquilla Faesulanae communitatis vita ab ordinario Curiae rythmo identidem distrahebatur. Quosdam eiusmodi eventus ad modum ephemeridum dispositos hic subnectimus, quamquam eorum nonnulli unius domus, utut Curiae, praetergrediuntur fines et ad totius Societatis historiam pertinent.

Anno 1874. — Hoc primo Faesulanae commorationis anno, R. P. Beckx, de medicorum consilio, quaedam pietatis simul et recreationis itinera instituit: praeter proximum Montem Senarium, Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum Mariae memoria clarum, quem mense aprili invisit, die 30 augusti Assisium petit indeque Lauretum, die 7 septembris Faesulas rediens.

1876, 14 maii. — Pie obiit P. Felix Sopranis (Prov. Rom.), Italiae Assistens iam inde ab anno 1865.

(1) Ut solum de maioribus Curiae officialibus loquamur, ab anno 1873 ad annum 1895 mutati sunt:

Praepositi Generales 3 (RR. PP. Beckx, Anderledy, Martin).
Assistentes Italiae 4 (PP. Sopranis, Boero, Ciravegna, Freddi).
» *Germaniae* 3 (PP. Anderledy, Hoevel, Meschler).
» *Galliae* 3 (PP. Rubillon, Blanchard, Grandidier).
» *Hispaniae* 3 (PP. Gil, Costa, de la Torre).
» *Angliae* 5 (PP. Weld, Keller, Whitty, Jones, Meyer).
Secretarii Societatis 2 (PP. Armellini et Rota).
Procuratores Generales 3 (PP. Betti, Vioni, Ploegman).

(2) Exeunte anno 1894, paulo antequam Curia Romam rediret, habebantur Curiae adscripti Patres 16, Fratres 10, Universi 26: computatis quoque Procuratore Generali eiusque adiutoribus Romae degentibus et Archivista in Hollandia. Ex iis omnibus qui primum Faesulas petierant anno 1873, duo Fratres Coadiutores tantum Curiae adhuc adnumerari perseverabant hoc ultimo Faesulanae commorationis anno: Augustus M. Celli et Philippus Iannarelli. Ceteri omnes, sive Patres sive Fratres, vel iam obierant vel alio missi fuerant.

1876, 15 maii. — Faesulana domus, quae hucusque locabatur, hodie 55.000 italicarum libellarum redimitur et Curiae, nomine P. Petri Galletti (Prov. Rom.), civis florentini, possidenda acquiritur.

1876, 11 aug. — Faesulas advenit novus Italiae Assistens P. Iosephus Boero (Prov. Taurin.).

1878, 2 iulii. — R. Patri Beckx magna cum laetitia gratulantur Nostri vigesimum quintum regiminis annum hodie expletum : electus fuerat die 2 iulii 1853. Summus Pontifex Leo XIII, recens electus, epistolam gratulatoriam, Austriae vero Imperator Franciscus Iosephus telegramma miserunt.

1880, 8 febr. — Pie obiit P. Emmanuel Gil (Prov. Castell.), Hispaniae Assistens iam inde ab anno 1853.

1880, 28 apr. — Novus Hispaniae Assistens, P. Firminus Costa (Prov. Arag.), hodie Faesulas advenit.

1880, 31 iul. — R. P. Beckx anniversarium ab emissa sollemni 4 votorum professione quinquagesimum inter domesticorum laetitiam hodie commemorat.

1881, 10 nov. — Cum P. Alfredus Weld, Angliae Assistens, a Sancta Sede pro variis negotiis in Hispania et Indiis adhiberetur, datur ei Substitutus Assistentis P. Georgius Porter, e Provincia Angliae.

1883, 16 sept.-23 oct. — Congregatio Generalis XXIII celebratur : cum Faesulana domus non sit sufficiens, Congregatio Romae habetur ad Sancti Machuti in aedibus tunc Collegii Germanici nunc Universitatis Gregorianae. — *Die 24 sept.* : R. P. Antonius M. Anderledy, Germaniae Assistens, Vicarius Generalis perpetuus cum iure successionis eligitur. — *Die 5 oct.* : Novi Assistentes electi sunt : PP. Matthaeus Ciravegna (Italiae), Gaspar Hoevel (Germaniae), Gulielmus Blanchard (Galliae), Ioannes Ios. de la Torre (Hispaniae), Eduardus Ios. Keller (Angliae).

1884, 8 febr. — Cum hodie R. P. Beckx, octogesimum nonum aetatis annum compleat, nonagenario Patri dilectissimo peculiari cum gaudio gratulantur omnes domestici : ob tam singularem tamque raram festivitatem, cum non facile in exemplum transire possit, unica hac vice a silentio super mensam dispensatum est !

1884, 11 maii. — R. P. Beckx, qui litteris die 20 ianuarii datis iam multa sui muneris iura et officia Vicario Generali commiserat, aliis litteris hoc die datis, munere suo praeter titulum plene abdicat.

1884, 19 maii. — R. P. Petrus Beckx, annis laboribusque confectus, Faesulis Romam petit et in Collegium Pium Latinum Americanum, tunc in antiqua Domo probationis ad Sancti Andreae, se recipit, nihil nisi de aeternis deinceps sollicitus. Secum ducit P. Carolum Lavigne (1) ut Secretarium privatum et Fr. Ernestum Guggeri,

qui ei ad mortem usque tamquam filii patri adstiterunt. — Anno 1886, mense octobri, venerandus senex in Collegium Germanicum Hungaricum, quod nuper novam sedem in via S. Nicolai a Tolentino acquisierat, secedit.

1884, 11 sept. — P. Antonius Rota (Prov. Arag.), Societatis Secretarius renuntiatus, munere suo fungi coepit, quo triginta annos, ad mortem usque († 13 mart. 1914), fungetur.

1886, 4 febr. — Pie obiit P. Eduardus Ios. Keller (Prov. Missour.), Angliae Assistens ab anno 1883.

1886, 5 maii. — Novus Angliae Assistens P. Robertus Whitty (Prov. Ang.), hodie Faesulas venit.

1886, 8-11 sept. - Faesulis, R. P. Anderledy Vicario Generali praeside, post longam horum comitiorum intermissionem (1868-1886), celebratur LI Congregatio Procuratorum: Procurator Provinciae Castellanae aderat R. P. Ludovicus Martin, qui post aliquot annos ad supremum Societatis regimen electus est.

1887, 4 mart. — R. P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis XXII, Romae in Collegio Germanico pie obiit, aetatis anno 93, a suscepto Generalis munere anno 34. — Ex hoc die A. R. P. Antonius M. Anderledy Praepositus Generalis est et vocatur.

1888, 15 ian. — R. P. Anderledy cum PP. Assistentibus, Secretario et Substitutis Romae in Atrio superiore Basilicae Vaticanae adest canonizationi SS. Petri Claver, Ioannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez: ex Fratribus Faesulanis, quoniam omnes adire non poterant, P. Generalis secum duxerat Socium suum Fr. Ignatium Banquells, ut aliorum nomine prima exhiberet obsequia Sancto Fratrum Coadiutorum Patrono. — Eo die omnes hi Faesulani Socii in Residentia vulgo *Cecchina* appellata, in *Borgo Santo Spirito* sita, coenarunt, hodiernam Curiae in eodem loco commorationem inscii praeoccupantes. — Die *22 ian.* a Summo Pontifice ad commune colloquium tota Curia excepta est et postridie Faesulas omnes redierunt.

1888, 1 febr.-19 mart. — P. Generalis graviter aegrotat: novendiales preces S. Francisco Xaverio (4-12 mart.) offeruntur: die *19 martii* optatissimus Pater communi recreationi adest.

1888, 5 sept. — R. P. Anderledy annum ab inita Societate quinquagesimum explet: gratulationes Nostrorum et potissimum eorum preces gratus excipit, sed nullam externam festivitatem permittit.

1889, 8-12 sept. — Faesulis LII Congregatio Procuratorum habetur: cum nostra domus impar sit ad omnes Procuratores recipiendos,

(1) P. Carolus Lavigne (Prov. Tolos.), post obitum R. P. Beckx, Episcopus renuntiatus est et in Indias missus.

proxima *Villa Angelorum* brevi locatione conducitur. Huius Villae dominus primis annis nobis adversarius erat; sed deinde ex Nostrorum conversatione et simplici praesertim ac pia industria Fr. Coad. Iosephi Piccolboni (Prov. Ven.), nobis amicissimus factus est.

1891, 1 iul. — Faesulas venit P. Ludovicus Martin (Prov. Castell.), novus Secretarii Substitutus pro Hispania, qui post aliquot menses Vicarius Generalis, dein Praepositus Generalis erat futurus.

1892, 18 ian. — A. R. P. Antonius M. Anderledy, Praepositus Generalis XXIII, Faesulis pie in Domino obiit vespere post horam 11, aetatis anno 73, a suscepto Societatis regimine anno 9, quorum 4 priores titulo Vicarii Generalis. — Eius exsequiis, die 20 ianuarii celebratis, uterque Faesularum clerus cum Capitulo Cathedrali et Seminario adfuit. Sepultus est in crypta peculiari in porticu coemeterii, insculptis lapidi his verbis:

ANTONIUS MARIA ANDERLEDY
PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU
A CONDITA SOCIETATE XXIII^us A RESTITUTA V^us
NATUS EST BERISALII HELVETIORUM
III. NON. IUN. ANN. MDCCCXIX
PIE DECESSIT FAESULIS
XV KAL. FEBR. ANN. MDCCCXCII.
R. I. P.

Cum hic ex Praepositis Generalibus (si R. P. Thaddaeum Brzozowski, qui nunquam Romam venire potuit, excipias) solus sit, qui extra Urbem obierit et longe a suis Praedecessoribus sit sepultus (1), mens est eius ossa Romam ferre et in Societatis sacello in Campo Verano condere (2).

1892, 22 ian. — Reserata schedula a R. P. Anderledy relicta, invenitur designatus Vicarius Generalis R. P. Ludovicus Martin, Hispaniae Substitutus.

(1) S. Franciscus Borgia nonnisi post canonizationem (an. 1671) translatus est Matritum; quo etiam corpus R. P. Iacobi Laynez anno 1668 delatum erat.

(2) Praeter R. P. Generalem Anderledy, aliquot alii Patres ac Fratres Faesulis in domo S. Hieronymi supremum diem obierunt. Sunt autem:

P. Felix Sopranis (Prov. Rom.), Italiae Assistens, die 14 mart. 1876.
P. Emmanuel Gil (Prov. Castell.), Hispaniae Assistens, die 8 febr. 1880.
P. Eduardus Ios. Keller (Prov. Missour.), Angliae Assistens, die 4 febr. 1886.
Fr. Coad. Aloisius Manelli (Prov. Rom.), die 13 febr. 1889.
P. Iosephus Spinell (Prov. Austr.-Hung.), Substitutus Germaniae, die 25 febr. 1890.
Fr. Coad. Gulielmus Müller (Prov. Galic.), Amanuensis, die 20 maii 1891.

1892, 24 sept.-5 dec. — Loyolae in Hispania Congregatio Generalis XXIV celebratur. — Die *2 oct.* electus est Praepositus Generalis A. R. P. Ludovicus Martin, Vicarius Generalis. — Die *10 oct.* electi sunt Assistentes: PP. Rogerius Freddi (Italiae), Mauritius Meschler (Germaniae), Franciscus Grandidier (Galliae), Ioannes Ios. de la Torre (Hispaniae), Iacobus Jones (Angliae), qui paulo post in ipsa Loyolaea domo pie in Domino obiit (4 ian. 1893) eique mox sufficitur P. Rodulphus Ioan. Meyer (Prov. Missour.).

1893, 10 ian. — A. R. P. Ludovicus Martin, Praepositus Generalis, ex Hispania per varias Provincias redux, hodie in domum Faesulanam excipitur. — Paulo post, Romam cum Assistentibus petit Summum Pontificem aditurus, ibique aliquot dies permansit ut domos nostras Romanas visitaret. Faesulas redit die 11 februarii.

1895, mense ianuario. — Secundum Congregationis Generalis XXIV voluntatem (decr. 8), R. P. Martin Curiam in Urbem referre studet, reque diligenter perpensa, ipse aliique omnes turmatim Faesulis Romam petunt et in prima Collegii Germanici contignatione degere coeperunt.

Faesulana domus aliquot alios annos Curiae addicta mansit, eaque pro aestiva rusticatione adhibebatur, donec anno 1899 Monialibus quibusdam Anglicis locata primum, deinde divendita est.

In Collegio Germanico-Hungarico (1895-1927).

Itaque mense ianuario 1895 Curia Societatis iam Romae aderat, hospes Collegii Germanici et Hungarici in via quae ab ecclesia S. Nicolai a Tolentino nomen accipit. Primis mensibus pauca quaedam cubicula occupabat in prima Collegii contignatione; sed eo ipso anno exeunte, post pium obitum Cardinalis Pauli Melchers S. I., ut supra retulimus (1), diaeta Eminentissimi defuncti Curiae tributa est, in eaque aptiorem sedem invenerunt P. Generalis, Assistentes aliique; quam sedem, etsi semper angustam, ampliorem atque eo ipso aptiorem fecerunt nonnulla alia cubicula deinde identidem addita, praesertim ea quae diaetam constituerant Eminentissimorum Cardinalium S. I., Camilli Mazzella (Prov. Neap.) et Andreae Steinhuber (Prov. Austr.-Hung.), ut supra item diximus (2).

Ineunte anno 1896 Curiae adnumerabantur Patres 19, Coadiutores 12, Universi 31, quamquam non omnes simul habita-

(1) V. supra, pag. 118.
(2) V. supra, pag. 119.

bant: P. Procurator Generalis enim eiusque adiutores in Universitate Gregoriana degebant usque ad annum 1907, quo in Collegium Germanicum et ipsi venerunt (1).

Mense septembri illius anni 1896 in ipso Collegio Germanico celebrata est Congregatio Procuratorum LIII; item aliae duae Congregationes Procuratorum annis 1899 et 1902.

Anno 1906, vita functo die 18 aprilis A. R. P. Ludovico Martin (aetatis anno 60, a suscepto Societatis regimine anno 14), Vicarius Generalis ab eo designatus, R. P. Rogerius Freddi, Congregationem Generalem XXV indixit in Collegio Germanico habendam, ubi reapse celebrata est a 1 septembris ad 18 octobris illius anni. Die 8 septembris electus est Praepositus Generalis A. R. P. Franciscus Xav. Wernz, Elector Prov. Germaniae idemque Rector Pontif. Universitatis Gregorianae. Die 14 septembris electi sunt Assistentes: PP. Rogerius Freddi (Italiae), Wlodimirus Ledóchowski (Germaniae), Eduardus Fine (Galliae), Matthias Abad (Hispaniae), Iacobus Hayes (Angliae): praeter P. Freddi, etiam P. Fine eodem Assistentis munere antea fungebatur, siquidem anno 1900 suffectus fuerat P. Francisco Grandidier vita functo die 22 februarii illius anni.

Quae deinceps evenerunt, cum et satis recentia sint et facilius inveniri possint in *Actis Romanis*, ab anno 1910 edi coeptis,

(1) Status Curiae ineunte anno 1896 hic erat:

A. R. P. Ludovicus Martin, Praep. Gen. a die 2 oct. 1892.

Assistentes: PP. Rogerius Freddi (Italiae), Mauritius Meschler (Germaniae), Franciscus Grandidier (Galliae), Ioannes Ios. de la Torre (Hispaniae), Rodulphus Ioan. Meyer (Angliae).

Secretarius Societatis: P. Antonius Rota.

Procurator Generalis: P. Franciscus Ploegman (in Univ. Gregor.); cui anno 1898 suffectus est P. Alfredus Maertens.

Adiutores Secretarii: PP. Ioannes Bapt. Van Meurs (in Hollandia) et Achilles Gerste: hic etiam Ministri munere fungebatur eo anno.

Substituti Secretarii: PP. Dominicus Galeazzi (Italiae), Iosephus Hillenkamp (Germaniae), Petrus Charrier (Galliae), Marius Laplana (Hispaniae), Petrus Chandlery (Angliae).

Scriptores: PP. Hermelandus Costa (Prov. Rom.), Iosephus Hoevelman (Prov. Germ.), Thomas A. Hughes (Prov. Missour.).

Fratres Coadiutores: Ignatius Banquells, Alexander Luca, Alfonsus Schenten, Augustus M. Celli (in Univ. Gregor.), Candidus Colanicchia, Franciscus Bañuls, Gustavus Arbouin, Henricus Fuhrmann, Iosephus Prieto (in Univ. Gregor.), Iosephus Wenzel, Philippus Iannarelli, Thomas Araujo.

Ex his omnibus sive Patribus sive Fratribus, in hac nova Curiae domo duo tantum nunc adsunt: FFr. Banquells et Prieto.

aut in *Memorabilibus S. I.*, quae ab anno 1919 vulgantur, non est cur ea enucleatius persequamur. Ne tamen haec nostra historica synopsis manca sit, breves ephemerides subiicimus, quibus compendiose exhibentur maiores Curiae eventus ab anno 1906 ad 1927.

1907, 28 mai. — Pie obiit P. Iacobus Hayes (Prov. Angl.), Angliae Assistens. — Die *16 iulii* novus Angliae Assistens renuntiatur P. Hermannus Walmesley (Prov. Angl.).

1910, 27-30 sept. — Congregatio Procuratorum LVI in Collegio Germanico celebratur.

1912, 7 febr. — P. Isidorus Zameza (Prov. Castell.), qui ab aliquot mensibus in Curia degebat vices gerens P. Matthiae Abad Assistentis Hispaniae aegroti, hodie ei, vita functo Bilbai die 23 ianuarii, sufficitur novus Hispaniae Assistens.

1913, 27-30 sept. — Congregatio Procuratorum LVII in Collegio Germanico celebratur.

1914, 23 mart. — Pie in Domino obiit P. Antonius Rota (Prov. Arag.), ab anno 1884 fidelissimus Societatis Secretarius. — Die *1 maii* ei suffectus est P. Petrus Tacchi Venturi (Prov. Rom.).

1914, 11 iun. — Pie obiit P. Rogerius Freddi (Prov. Rom.), ab anno 1892 Italiae Assistens. — Die *16 iulii* ei sufficitur P. Franciscus de Paula Nalbone (Prov. Sic.).

1914, 19 aug. — R. P. Franciscus Xaverius Wernz, XXV Praepositus Generalis, in Collegio Germanico pie in Domino obiit, aetatis anno 72, a suscepto munere anno 8. — Reserata schedula ab eo relicta, inventus est designatus Vicarius Generalis R. P. Eduardus Fine, Galliae Assistens.

1915, 2 febr.-18 mart. — Congregatio Generalis XXVI in Collegio Germanico celebratur. — Die *11 febr.* A. R. P. Wlodimirus Ledóchowski, Germaniae Assistens, Praepositus Generalis eligitur. — Die *24 febr.* eliguntur Assistentes: PP. Franciscus de Paula Nalbone (Italiae), P. Rodulphus van Oppenraaij (Germaniae), Eduardus Fine (Galliae), Iosephus Barrachina (Hispaniae); addita autem nova Americae Assistentia, die *1 martii* primus illius Assistens eligitur P. Thomas Gannon, et Angliae Assistens confirmatur P. Hermannus Walmesley.

1915, 17 maii. — Pater Noster, ob bellum Italiam inter et Austriam imminens, Urbem relinquit et in Helvetiam secedit, quo tota fere Curia eum paulo post secuta est, Zizerii (*Zizers*) in Grisonibus a die 1 augusti 1915 usque ad finem anni 1918 sedem figens.

Quod quidem hic, sub eodem *in Collegio Germanico* commorationis titulo commemoramus, quia Romanam illam sedem Curia reapse non reliquerat nisi ex parte et ad tempus, manentibus quoque ibi nonnullis Patribus ac Fratribus.

Etiam in illa temporanea Helvetica sede mors communitatem Curiae invisit : nam die *25 ian. 1918* Tizerii pie obiit P. Thomas Gannon (Prov. Maryl. N. E.), Americae Assistens, ibique sepultus. — Die *7 aug.* eiusdem anni ei suffectus P. Iosephus Hanselman (Prov. Maryl.-N. E.).

1918, 30 dec. — Pace tandem restituta, hodie Pater Noster, et paulo post alii omnes, Romam repetunt, in consueta Collegii Germanici sede iterum commoraturi.

1920, 1 sept. — R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens, Vicesuperior domus constituitur.

1920, 27-30 sept. — Congregatio Procuratorum LVIII Romae in Collegio Germanico habetur.

1921, 10 oct. — Novus Societatis Secretarius P. Henricus Carvajal (Prov. Legion.), novusque Procurator Generalis P. Petrus Boetto (Prov. Taurin.), hodie renuntiantur ; P. Alfredus Maertens deinceps Oeconomus Generalis est et dicitur.

1923, 16 ian. — Pie in Domino obiit P. Iosephus Hanselman, Americae Assistens.

1923, 8 iun. — Primus novi Curiae aedificii lapis apud Ianiculum collem deiicitur.

1923, 8 sept.-21 dec. — Congregatio Generalis XXVII, ad Institutum recognoscendum coacta, in Collegio Germanico celebratur. — Die *17 oct.* novi Assistentes Galliae, Angliae et Americae electi sunt PP. Norbertus de Boynes, Iosephus Welsby et Aemilius Mattern.

1926, 16 aug. — Tusculi pie obiit P. Alfredus Maertens, Oeconomus Generalis, cui succedit P. Antonius M. Stravino (Prov. Neap.).

1926, 27 sept. — Novus Societatis Secretarius renuntiatur P. Iosephus Demaux-Lagrange (Prov. Tolos.).

1927, 27-30 sept. — Congregatio Procuratorum LIX ibidem habetur.

1927, 8 dec. — Tota Curiae communitas in nova sede coadunata est.

Quod felix faustumque sit !

II.

DE QUIBUSDAM CENTENARII ALOISIANI CELEBRATIONIBUS

ANNIS 1926–1927.

Praeter ea quae saepius, sive in communibus nuntiis (1), sive a Patre Nostro suis ad universam Societatem datis litteris (2), sive etiam aliis locis in *Actis Romanis* (3), de festis Aloisianis dicta sunt, visum est hic documenta quaedam et commentaria historica simul colligere, quo plenior de tam feliciter peracta commemoratione apud nos memoria servetur (4). Nonnulla ex his S. Aloisio et S. Stanislao communia sunt: sed, iis quae ad Ser[illegible]icum Novitium propius pertinent ad alterum peculiarem articulum remissis, reliqua hic recensebimus quandocumque primas Aloisio partes tribuere videntur.

Acta Pontificia.

Ut nihil dicamus de Litteris Apostolicis " Singulare illud „ die 13 iunii 1926 ad Patrem Nostrum datis (5), quae totae sunt in Aloisio laudibus extollendo in eiusque universali christianae iuventutis patrocinio iterum proclamando et confirmando, iam notae sunt allocutiones Summi Pontificis ad peregrinos Aloisianos, cum mense decembri 1926 (6), tum mense aprili 1927 (7). Sed aliis

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 528-529, 537-549, 559-562; item hic supra, pp. 5–9, 19–23, 59–60.

(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 337-340; item, 1926, pp. 486-490, 525-528; item, 1927, pp. 646–647.

(3) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 421-433, 461-462, 466–467.

(4) Optime novimus hisce in rebus vel diligentissimum collectorem multa fugere posse et quaedam forte minus recte ei relata fuisse: sed lectorum benevolentiam haec facile indulturam esse speramus.

(5) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), pp. 258-267; *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 421–432,

(6) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 559–562.

(7) V. supra, pp. 19–23.

quoque occasionibus toto anno iubilari Beatissimus Pater de Angelico Iuvene saepe mentionem fecit. Subiiciemus hic quaedam exempla:

Ad Purpuratos Patres die 23 decembris 1925:

« Semper grata nobis omnia vestra, sed hoc anno, gratiora, dum occidui Anni Sancti ignitis splendoribus aurora novi anni succedit, divinis benedictionibus plena, cum odoribus Seraphici Sancti Francisci laetissima coniunctione *filia Angelici Iuvenis a Gonzaga* sociantur ».

Die 6 ianuarii 1926, postquam in Aula Consistorii lectum fuit decretum de heroicitate virtutum Ven. Servi Dei Antonii Mariae Claret, Beatissimus Pater orationem de novo Ven. Servo Dei his verbis incepit:

« Ultimus splendor et beneficium Anni Sancti, quem immensae Dei bonitatis gratia celebrare potuimus, nec non omen felicissimum, quod *simul cum auspiciis Franciscanis et Aloisianis* novum annum prosperum faustumque fore portendit, est, quod hodie heroicitatis coronam tribuere possumus excellenti Dei Servo Antonio Maria Claret ».

Duabus diebus post, die 8 ianuarii 1926, ad Patritiatum Romanum qui Summo Pontifici pro novo anno omnia fausta precatus est, Hic similia vota reddens inter alia dixit:

« Novus annus optime auspicatus est nobis, siquidem annus centenarius est non solum S. Francisci Assisiensis, *sed etiam Canonizationis S. Aloisii Gonzaga* annus est, in quo splendor seraphicus unius harmonice conspirat cum alterius splendore, quem vulgus merito Angelicum nuncupavit... ».

Die 16 februarii 1926 Beatissimus Pater, Romanos quadragesimales praedicatores alloquens, inter plura concionum argumenta etiam haec indicavit:

« Primum thema est duplex et respicit aliquid huius anni proprium, scilicet: *Annum centenarium S. Francisci et S. Aloisii Gonzaga*. Praedicatores ad has commemorationes celebrandas suos quisque auditores adhortentur, easque in vera et genuina luce iis proponant, h. e. non tantopere festivitates externas promoveant quae tam facile motivis magis ab alia re quam a vera fide et pura pietate christiana originem ducentibus obscurari possint, sed potius splendidam illam internam sanctitatem extollant, quae simul est vere catholica, cum sola Ecclesia Catholica vere Sanctos educare eosque rite celebrare valeat.

Spiritus sanctitatis in omnibus Sanctis unicus est, quia participat et exprimit unicam sanctitatem divinam, idque eo mirabilius, quo magis

haec divina sanctitas innumeris modis iuxta temporum et locorum varietates, imo iuxta intelligentiam et voluntatem ipsorum, qui eam in se suscipiunt et possident, manifestatur in Sanctis.

« Unicus ille sanctitatis spiritus in S. Francisco notis affulget speciatim ex eius spiritu poenitentiae et crucis amore... Qui S. Francisci spiritus poenitentiae et amoris *pulcherrimum complementum sibi invenit* (non quod spiritui franciscano aliquid desit, sed quia ibi alii sanctitatis characteres clariore luce resplendent) *in centenario Aloisiano.* Etenim in S. Aloisio lucescit illa vita pura et sancta, quae nihil aliud quaerebat quam ipsi Cordi divino esse consolationi. Ille est agnus qui pascitur inter lilia; in illo splendet spiritus, spiratur odor et unguentum illius puritatis, qua mundus hodiernus, cum novus paganismus ubique nos invadat, tantopere indiget. Illius puritas fructus est orationis, sine qua nemo non succumbit, puritas est, quae ante omnia in sui ipsius abnegatione consistit, fortitudo est ad renuntiandum iis omnibus quibus necesse est valedicere, ad resistendum mundanis illecebris. Et simul cum hac puritate in S. Aloisio apparet verus ille caritatis ardor, quo se ipsum immolat, in caritatis erga proximos exercitio vitam Deo sacrificans... ».

Post sollemnem disputationem, qua Pontificia Universitas Gregoriana Collegii Romani Aloisianam commemorationem inchoavit die 20 martii 1926, Sanctissimus Dominus allocutionem habuit, cuius infra potiores partes referemus.

Die 4 aprilis 1926, cum oblata esset Summo Pontifici imago simulacri S. Aloisii hominem infirmum portantis, sua Ipse manu haec verba inscripsit, quae deinde latissime diffusa sunt:

" Che il centenario della canonizzazione di S. Luigi Gonzaga " accenda in tutti, ma specialmente in voi, cari giovani, lo studio " e l'imitazione di questo miro giovane, capolavoro di natura e " di grazia, che alla rapida conquista di consumata santità consa" crava vivacità d'ingegno, vigoria di carattere, forza di volontà, " fervore di opera, generosità di rinuncie, vero angelo di purezza, " vero martire di carità ".

Pius PP. XI.

Die 2 maii 1926, occasione decreti de miraculis Venerabilis tunc Servae Dei (nunc Beatae) Bartholomaeae Capitanio, quae " a pueritia sanctitatis metam contingere statuit, moresque suos ad Aloisii Gonzaga, quem sibi in patronum elegit, exemplar componere studuit " (1), Beatissimus Pater de hoc Angelico Bartholo-

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), pag. 241.

maeae exemplari verba fecit eiusque efficaciam ostendit; item, die 22 maii, occasione decretorum de " tuto „ pro eiusdem Venerabilis Servae Dei beatificatione (1) et de martyrio nostrorum Venerabilium (nunc Beatorum) Martyrum Albenacensium, rursus S. Aloisium commemoravit.

Die 9 maii 1926, sodales Congregationum Marianarum Urbis, quorum circiter duo miilia aderant, allocutus, S. Aloisium insignem Beatissimae Virginis clientem et puritatis exemplar omnibus adolescentibus imitandum exhibuit.

Mitto sollemnes allocutiones iam supra memoratas; sed alios etiam peregrinorum manipulos anno 1926 excipiens, praesertim si multos iuvenes inter eos conspiceret, Summus Pontifex Angelici eorum Patroni nunquam fere non meminit: tam alte in Eius animo insederat spes fore ut christiana iuventus universa magnum hinc spirituale emolumentum esset adeptura; nec, Deo favente, spem fefellit eventus.

Apud nostros Scholasticos.

Antequam externas Aloisianas sollemnitates in variis nationibus peractas brevi elencho complectamur, intra domesticos parietes quid factum sit innuendum est. Sed, quoniam S. Aloisius peculiaris Scholasticorum Patronus habetur, sufficiat de Collegiis Nostrorum aliquid dicere. Magnus ubique Scholasticos nostros tenuit Angelici Fratris honorandi fervor, qui in eadem fere pietatis exercitia, eadem festivae exsultationis signa plus minusve ubique exarsit: tridua vel hebdomadae sollemnes, sex dominicarum obsequium impensius praestitum, academiae aliaque id genus de

(1) In ipso hoc decreto de centenario Aloisiano sermo est. En verba: « Sapientissimo rerum omnium moderatoris Dei, cuncta fortiter suaviterque disponentis, consilio accidere videtur, ut temporibus nostris altarium honores decernantur Ven. Bartholomaeae Capitanio, virgini lectissimae, quae adhuc puella Francisci Assisiensis spiritu in patrio asceterio S. Clarae imbui studuit et Aloisii Gonzaga, quem sibi in patronum adlegit, mores ac praecipue integritatem et puritatem animi referre statuit, retinuitque alacriter ad postremam usque vitae lineam... Dum igitur solemnia apparantur ad pie recolendam pretiosi obitus, septies saecularis, Francisci Assisiensis, et Sanctorum caelitum honorum, quibus Aloisius Gonzaga binis abhinc saeculis auctus fuit, admodum opportune sane contingit, etiam Ven. Bartholomaeae Capitanio, quae utriusque exempla sectanda suscepit, sanctitatem solemni Apostolicae Sedis decreto celebrare aliisque ad imitandam proponere... ». (*Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII, 1926, pp. 285-286).

singulis Collegiis essent commemoranda. Sancto Aloisio non modo Novitii sed ceteri quoque Scholastici ubique Sanctum Stanislaum sociarunt.

Scholastici Pontificiae Gregorianae Universitatis Collegii Romani ceteris Societatis Scholasticis auctores fuerunt ut geminos Sanctos Fratres toto corde et animo hac occasione recolerent, communi epistola ad omnia Nostrorum Collegia die 15 maii 1926 missa, in qua quae ipsi quotidie, qualibet hebdomada, quolibet mense, ac praecipue recurrente anniversario, sibi proposuerant facienda indicabant, praeter ea quae pro sua quisque pietate ac virtute privatim deferret.

Iuvat hic ipsam eorum epistolam exscribere:

SCHOLASTICIS SOCIETATIS IESU
SCHOLASTICI UNIVERSITATIS GREGORIANAE COLLEGII ROMANI.

Carissimi in Chr. Fratres,

P. Chr.

Initio iam appetente faustissimae bis centenariae celebrationis ad auspicatissimum diem recolendum quo Angelici Fratres nostri Aloisius Gonzaga et Stanislaus Kostka Sanctorum numero adscripti sunt, dum omnes per orbem catholici iuvenes alacri studio se comparant ad caelestes Patronos debitis honoribus prosequendos, nostrum esse duximus peculiarem aliquam adinvenire rationem qua nos quoque nostrum angelicis Sodalibus testaremur obsequium Eorumque nobis compararemus patrocinium. Quae vero, Superioribus benigne annuentibus, communi sententia statuenda exsequendaque censuimus, placuit vobiscum quoque, Fratres carissimi, communicare, non quidem ea mente ut vos quoque ad eadem capienda consilia videremur adhortari, sed quia visum est haud ingratum vobis futurum rescire quonam potissimum modo in hac optatissima occasione amorem nostrum erga caelestes Fratres essemus nos significaturi, qui ad Eorum sanctissima sepulcra prope degimus quique hic collecti ex quatuordecim diversis Societatis Provinciis aut Viceprovinciis, apud Eosdem quodam modo aliorum quoque Scholasticorum gerimus partes.

Quae igitur statuimus, quaeque praesertim ad peculiaria pietatis officia et ad magis frequens paenitentiae ac mortificationis studium reducuntur, haec sunt:

Ante saecularium solemnium exordium omnes, Theologi ac Philosophi, scripto indicabunt quae quisque sibi per totum hunc annum privata industria adimplenda pietatis et mortificationis exercitia velit imponere in honorem SS. Aloisii et Stanislai. Haec folia simul collecta ad Aram Aloisianam inde afferemus Dominum efflagitantes, ut

Aloisio et Stanislao deprecantibus uberes fructus ex hac centenaria commemoratione proveniant, sive pro omnibus quotquot in Societate iuvenes crescunt, sive etiam pro cunctis adolescentibus ipsi Societati instituendis commissis, nec non pro universa totius orbis catholica iuventute. Fructus autem praecipui, quos pro iis omnibus vehementer exoptamus, hi sunt: erga SS. Eucharistiae Sacramentum amor ferventissimus, in Beatissimam Virginem Mariam cultus tenerrimus; demum mores innocentissimi et christianae modestiae et mortificationis studium assiduum.

Per totum inde saecularem hunc annum cultus quidam perpetuus in honorem praesertim S. Aloisii inter Scholasticos usurpabitur ita ut cotidie semper aliquis adsit, qui S. Aloisium nomine suo et aliorum singulari ratione honorandum sibi suscipiat; et is, cui per vicem hoc munus obtigerit, de Illius vita instituat matutinam meditationem, in Eiusdem honorem offerat S. Sacrificium Missae Sanctamque Communionem, addat insuper opus aliquod mortificationis, et per aliam dimidiam horam ad Aram Aloisianam precibus fundendis vacet. Praeterea toto hoc tempore omnes cotidie Aram S. Aloisii invisemus et semel saltem in hebdomada S. Stanislai Cineres studebimus venerari.

Insuper dies XXI cuiusque mensis S. Aloisio colendo consecrabitur. Pridie vespere omnibus simul puncta pro diei insequentis meditatione proponentur; mane autem omnes ad Altare S. Aloisii Missae curabunt interesse et ad S. Synaxim recipiendam accedent. Diebus vero statuendis Patres omnes ac Fratres Societatis in Urbe commorantes convocabuntur tum ad concionem audiendam et ad opem S. Aloisii iunctis precibus ante eius venerandum sepulcrum implorandam, tum ad solemnem academiam in honorem S. Aloisii et S. Stanislai celebrandam. Ad ipsum denuum S. Aloisii festum rite nos praeparabit primo pia illa exercitatio quae per sex dominicos dies ante eius festum peragi consuevit, quaeque a nobis publice hoc anno cum universa domo explebitur post meridianas litanias ante eucharisticam benedictionem; dein vero votorum instauratio quo maiori fieri poterit studio animique fervore perficienda. Solemnitatem autem S. Stanislai triduanae supplicationes praecedent aliaque pietatis exercitia, quae animum erga innocentissimum sanctissimumque Adolescentem accendant.

Haec, Fratres carissimi, sunt proposita nostra praecipua. At antequam ipsi centenariae celebrationi fiat initium omnibus in votis est ut liceat nobis Summi Pontificis S. Sacrificio interesse, ab Eoque Domini Corpus edendum recipere et paternam obtinere benedictionem tum pro nobis tum etiam pro vobis omnibus, quo S. Aloisii et S. Stanislai ferventi animo renovata memoria cunctis optatissimos fructus, quos antea diximus, cumulatissime afferat.

Hoc igitur modo solemni hac maximeque opportuna occasione animorum nostrorum sensus erga Angelicos Fratres conabimur ostendere. Si quid autem et vos iam ad eundem finem, ut putamus, statuistis, vel quod certe statuetis, ex corde, Fratres carissimi, rogamus velitis id nobis renunciare. Etenim nuncii vestri desideratissimi semper ad nos pervenient, sive narrent quae ad privatas vestras celebrationes pertineat, sive etiam referant quibus honoribus in regionibus, quas incolitis, Christi fideles Aloisii et Stanislai nomen cohonestaverint.

Valete, Fratres carissimi ; vos omnes etiam atque etiam ex animo salvere iubemus ; ac dum vestrum omnium semper nos memores futuros promittimus cum S. Aloisii et S. Stanislai Aras invisemus, vestris precibus nos enixe commendamus.

Romae, die 15 maii 1926.

Vestrum omnium Fratres in Christo
SCHOLASTICI UNIVERSITATIS GREGORIANAE
COLLEGII ROMANI.

Ex iis responsionibus quae hinc inde missae sunt et ex litteris ad Patrem Nostrum datis patuit quam bene erga hos Sanctos suos Scholastici nostri afficerentur, quanta devotione aestuarent, eorumque vestigia premere contenderent : nam quibus obsequiis, officiis, virtutum exercitationibus — variis illis quidem pro variis adiunctis, — Patronos suos prosequerentur referebant. In hunc sensum, ut aliqua nominemus, scripserunt Collegium Maximum S. Bennonis (Prov. Angl.), Collegium Maximum S. Ignatii Sarrianense (Prov. Arag.), Collegium Maximum SS. Cordis Granatense (Prov. Baeticae), Collegium S. Iosephi Szegedinense (Prov. Hung.) et cum primis Collegium Pullacense (Prov. Germ. Sup.). Hic etiam Musaeum Aloisianum ex imaginibus, numismatis libris, elucubrationis, quacumque demum re quae S. Aloisii memoriam referret, constitutum est. Integram exscribere iuvat relationem illinc ad nos missam :

Quomodo philosophi scholasticatus Pullacensis S. Ioannis Berchmans Prov. Germaniae Superioris bis centenariam commemorationem canonizationis S. Aloisii et S. Stanislai celebraverint.

Scholastici nostri, vestigia Sancti sui Patroni, Ioannis Berchmans, prementes, singulari aliquo modo hoc anno S. Aloisium venerari imitarique conati sunt. Rati iubilaeo in toto orbe fructuose peragendo imprimis orationibus subveniendum esse, quotidie tres Scholastici integrum diem Angelico Iuveni consecrabant : meditationem de ipso instituebant, S. Communionem, Missam, Rosarium, opus poenitentiae in hanc intentionem of-

ferebant specialemque SS. Sacramenti visitationem instituebant. In aliquo domus atrio, quod omnibus saepe est transeundum, pulchra S. Patroni imago fuit collocata per totum annum floribus ornata, sub qua inveniebatur arcula, cui erat inscriptum: « Dona pia in honorem S. Aloisii » et in quam, quae quisque in Gonzagae servitium perageret, imposuit scripto. Haec dona, fere 14 milia, in fine anni saecularis nitide composita ad Aloisii sepulcrum sunt missa, ubi aliquis ex nostro Collegio Pater Romae degens unoquoque mense ad intentionem iubilaei Sacrum fecerat. Uniuscuiusque mensis dies XXI peculiari modo S. Aloisio fuit consecratus: pridie a Praefecto spiritus puncta Aloisiana sunt tradita et ipsa die R. P. Rector, in quantum fieri potuit, S. Aloisii Missam votivam celebravit. Omni mense etiam novae intentiones ad iubilaeum spectantes editae sunt simul cum Kalendario Aloisiano, quo omnes dies in S. Patroni vita alicuius momenti erant signati.

Instituta etiam est a Scholasticis aliqua collectio et expositio rerum Aloisianarum, favente Patre Dom. Peregrino Hoffmann O. S. B., qui in monasterio Schweiklberg, non multum a Collegio distante, facile maximam totius orbis collectionem Aloisianam instauravit. Postquam enim aliqui Fratres istius Patris musaeum visitaverant, coeperunt et ipsi colligere omnimoda scripta atque imagines ad Sanctum nostrum pertinentia ad se ipsos in illius scientia atque amore semper magis provehendos et apostolatum Aloisianum propagandum. Ita nunc 44 biographias variis linguis conscriptas exstant, 240 variae imagines, 466 compositiones in variis libris atque periodicis, multaque alia. Ut alia taceam, a Scholasticis plus quam duo milia imaginum S. Aloisii sunt divulgata variaeque compositiones Aloisianae vel pro Nostris tantum vel in periodicis externis in lucem editae.

Instituta sunt in recreationibus sic dicta colloquia Aloisiana, id est aliquorum Fratrum coetus, qui unaquaque hebdomada tempore apto conveniebant de S. Aloisii vita atque virtutibus disserentes, sicut et generatim colloquia spiritualia in caelestis Patroni honorem non nihil sunt aucta. Die 12 usque ad 14 novembris, id est ad S. Stanislai festum, solemne triduum in amborum Sanctorum honorem fuit celebratum.

Die 28 usque ad 30 decembris triduum renovationis votorum iterum totum in SS. Aloisii et Stanislai honorem et imitationem fuit ordinatum. Sex denique dominicas Aloisianas hoc anno ante S. Patroni festum solemni ritu pro tota domo communiter celebraverunt. Pro ultima devotione novendiali ab aliquibus Fratribus parati sunt 110 « flores Aloisiani » ex ipsius Sancti dictis et scriptis; addita aliqua praxi ad usum Scholasticorum (1).

(1) Prudentem huius relationis conclusionem infra referemus (pag. 169), siquidem de omnibus Aloisianis festis ubique peractis et de tota hac nostra relatione optime apteque idem dici potest.

Romae.

Iam inde ab initio anni 1926, Coetus peculiaris Aloisianus ad festa centenaria promovenda et ordinanda, ipso Eminentissimo Urbis Vicario praeside, Romae constitutus est. P. Carolus Miccinelli (Prov. Roma), tunc Universitatis Gregorianae Rector, Societatis personam in illo Coetu gessit, sed ipse Pater Noster rogatus est ut suum quoque nomen honoris causa eidem Coetui dare vellet. Quod libentissime, ut par erat, praestitit Pater Noster, hac quam exscribimus epistola ad Eminentissimum Coetus Praesidem die 24 martii data:

A S. Em. Rev.ma il Sig. Card. Basilio Pompilj
Vescovo di Velletri, Vicario di S. S.

Eminenza Revendissima,

Particolarmente accetto mi fu il gentile invito che Vostra Eminenza si degnò rivolgermi di partecipare al Comitato di Onore costituito in quest'Alma Città per celebrare degnamente il secondo centenario della canonizzazione di S. Luigi Gonzaga. Vostra Eminenza può ben immaginarsi quanto io goda in vedere il sacro entusiasmo che si va suscitando in tutto il mondo, specialmente nella gioventù, verso questa fulgida gloria della nostra Compagnia, verso l'Angelico Modello e Patrono della gioventù cattolica, tanto più che, come opportunamente dice Vostra Eminenza, le feste centenarie « in conformità allo spirito di austera pietà e singolarissima purezza dell'Angelico Giovane » devono rivolgersi soprattutto « a un vero ritorno a quella purezza di costumi che nei singoli e nella società è l'unica solida base di ogni umana ascensione ».

Invio perciò con tutto il cuore la mia adesione e il mio plauso ai nobili intendimenti di codesto Comitato a cui Vostra Eminenza presiede, e mi professo fin d'ora a nome di tutta la Compagnia di Gesù profondamente riconoscente dell'onore che ne viene al nostro Santo Fratello, augurando un felice esito e un copioso frutto alle Loro iniziative, pronto sempre a coadiuvare, secondo le nostre deboli forze, l'opera illuminata del Comitato Romano.

Chinato al bacio della sacra Porpora, con profondo ossequio godo professarmi

Roma, 24 marzo 1926.

dell'Em. Vostra
devotissimo servitore
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

Interea Pontificia Universitas Gregoriana anno iubilari Aloisiano coram Summo Pontifice initium sollemne faciebat die 20 martii 1926, quo die in aula Benedictionum in Aedibus Vaticanis clericus D. Antonius Lanza, Gregoriani Athenaei ex almo Collegio Capranicensi alumnus, theses de universa theologia morali, ex operibus S. Thomae depromptas, defendit. Cum ipse Sanctus iuventutis Patronus, olim Collegii Romani alumnus, de universa philosophia theses summa ingenii laude defenderit, nihil magis congruum visum est quam ut simili disputatione faustissimi eventus commemorationi daretur initium. Huic disputationi, praeter nostrae Universitatis Lectores et theologiae auditores, interfuerunt duodeviginti Cardinales, Exc.mi Episcopi et Praelati complures atque ex utroque clero multi praestantes viri.

Postquam ingressus est in aulam Summus Pontifex, canitur hymnus ad S. Aloisium, deinde R. P. Carolus Miccinelli, Rector Universitatis, hac brevi oratione exponit conventus huius rationes petitque apostolicam benedictionem:

Beatissimo Padre!

L'augusta presenza della Santità Vostra, non solo nobilita ed esalta questa nostra esercitazione scolastica, ma la pone altresì in certo qual modo al cospetto del mondo tutto. A tale riflesso di cattolicità, la funzione accademica che sta per svolgersi, potrà meglio corrispondere al suo scopo e mostrare la devota ispirazione di pietà che l'anima e l'informa. Giacchè non solo vuol'essere una festa della scienza, un elegante " torneo spirituale », come Vostra Santità si compiacque definirne un'altra somigliante, ma vuol essere col prezioso assenso di Vostra Santità la dovuta primizia di ossequio che l'Università Gregoriana del Collegio Romano offre all'Angelico suo Alunno e Patrono, S. Luigi Gonzaga, in questa centenaria commemorazione della sua Canonizzazione.

Quando in un sabato di novembre del 1585 Luigi, allora ex-marchese ereditario di Castiglione, veniva qui ad implorare dal vostro illustre predecessore Sisto V l'Apostolica Benedizione prima di rinchiudersi nel Noviziato della Compagnia di Gesù a S. Andrea al Quirinale, e quando due anni appresso nell'aula massima del Collegio Romano era scelto a difendere tutta la filosofia innanzi a illustri Porporati, non avrebbe l'umilissimo giovane neppur lontanamente sospettato che a soli 13 anni dalla vicina sua morte un Sommo Pontefice gli avrebbe decretato il titolo di Beato e che, nel decorso dei secoli, dei tardi condiscepoli del Collegio Romano in suo onore avrebbero tenuto una simile disputa alla presenza di un altro Sommo Pontefice, vanto anch'esso del Collegio Romano, per iniziare la commemorazione bicentenaria della sua gloriosa Canonizzazione.

Eppure tutto ciò è un fatto, che Luigi non può ascrivere alla nobiltà della nascita che pur ebbe cospicua, nè al valore dell'intelligenza che pur ebbe straordinariamente penetrante e precocemente matura, ma alla fortezza di sua volontà,

che, cooperando fedelmente alla grazia di Dio, ebbe fin dalla fanciullezza stabilmente eroica.

E questo noi vogliamo che sia lo spirito animatore di questa storica nostra riunione, questo il proposito che ne rimanga perenne in quanti siamo Professori ed Alunni, di mettere cioè le doti della mente a disposizione di una volontà risolutamente santa, e mente e volontà a disposizione della causa di Nostro Signore e del suo Vicario in Terra.

Beatissimo Padre!

Come vi siete degnato di ammetterci alla Vostra presenza quest'oggi, così degnatevi di leggere nei nostri volti e più ancora nei nostri cuori questo desiderio, proposito e promessa di santa romanità, e di avvalorarlo colla Vostra Apostolica Benedizione.

Postea, D. Lanza dissertationem legit qua clare concinneque probat secundum S. Thomae sententiam non tantum commutativam iustitiam sed etiam quae dicuntur legalis et distributiva, esse veras species virtutis iustitiae.

Theses propositae numero erat 111 quas aggrediendas susceperant Rñus D. Hector Baranzini Rector Collegii SS. Ambrosii et Caroli, Rñus P. Eduardus Hugon O. P. in Collegio Angelico Professor et Rñus P. Hieronymus a Parisiis O. Min. Cap. (1).

Cum vero disputationi finis esset impositus, Beatissimus Pater voluit notum facere quanto cum gaudio huic scholasticae pugnae interfuisset. Duplicem autem gaudii sui causam esse dixit: primam, quod disputatio fuisset de theologia morali, quae scientia in hodierna societate humana toties interroganda sit debeatque in gravissimis adiunctis maximi momenti dare responsa; alteram, quod in honorem S. Aloisii habita esset ut sollemnis inauguratio commemorationis bis centenariae eius Canonizationis.

« Nam — inquit — S. Aloisii sanctitas non id generis est, sicut quidam non multis abhinc annis opinari videbantur, ut sola admiratione digna sit, admiratione quadam e longinquo, ut imaginis cuiusdam pulchrae quidem, sed valde delicatae. Sanctitas eius esset ut opus quoddam, sculptum et caelatum arte perfectissima, ita ut eius characteres pro sua tenuitate attingi non possint, multo minus in praxi, et exercitio huius vitae imitatione exprimi. Nequaquam! Sanctitas Aloisii Gonzaga, de qua separare non licet altera illa Aloisianae sanctitati simillima, sanctitas Stanislai Kostka, illius Beniamin inter Sanctos, talis

(1) Cfr. *Gregorianum*, vol. VII, 1926, pp. 311 312.

naturae est ut sub aspectu gracili et tenero magnam fortitudinem et vigorem et praesertim admirabilem puritatem abscondat.

« Ex una parte vitae brevitas, valetudinis debilitas, educationis praestantia, nobilitas stirpis, ex altera parte ingenii acumen plus quam ordinarium, voluntatis fortitudo, aestimatio humilis quidem sed virilis proprii valoris, propriae voluntatis, perseverantia simul cum heroica obedientia, caritas eximia, imo heroica, usque ad martyrium in adiuvandis proximis!

« Ideo non potest fieri quin vos, iuvenes, qui adhuc studetis rebus divinis ut eas mox doceatis alios, libenter contemplemini et gustetis miram illam ingenii, studii, fortitudinis cum vera heroicitate et exquisito puritatis odore unionem. Ipsi per felicissimam experientiam agnovisse debetis, qualis in puritate habeatur pulcherrima ad veritatem assequendam praeparatio, nam anima pura est, cui Deus se manifestat, anima pura est quae se elevat et volat per caelum serenum et lucidum veritatis, ad eas potissimum veritates quae Deum resque divinas respiciunt... »

Tandem, defendenti, arguentibus et magistris gratulatus, Beatissimus Pater benedictionem apostolicam peramanter omnibus impertitus est.

De festis autem Romae habitis satis diximus in communibus Societatis nuntiis (1), nec vacat hic eadem repetere. Liceat tamen hic ad memoriam conservare epistolam, qua Pater Noster Coetui Romano, de festis Aloisianis tam bene merito, nomine Societatis gratias egit:

All'Ill.mo e Rev.mo Mons. Luigi Campa
Presidente del Comitato Aloisiano presso il Vicariato di Roma.

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Sono veramente confuso per essere stato prevenuto da codesto Comitato nel « doveroso atto di omaggio » e di ringraziamento, che toccava a me compiere verso di loro e che mi riserbavo di prestare dopo la chiusa dell'anno centenario Aloisiano da Dio così largamente benedetto.

Mi dispiace del disagio che essi vogliono prendersi di venire sin qua; ma poichè, per loro bontà, vogliono invertire le parti, sarò ben felice ed onorato della loro visita nel giorno ed ora indicatami nella lettera della Signoria Vostra Rev.ma del 15 corr. (2), e godrò di poter avere così opportuna occasione di esprimere a tutto il Comitato e a ciascuno de' suoi membri la viva gratitudine che sentiamo verso di loro, che con tanto affetto, abnegazione e assiduità hanno saputo efficacemente promuovere in tutto il mondo un consolante risve-

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 528, 537–547; item, hic supra, pp. 7–9.
(2) V. supra, pag. 9.

glio di culto verso l'Angelico Patrono dei Giovani con benefici e, speriamo, duraturi frutti di spirituale rinnovamento nei teneri cuori della gioventù cristiana.

In attesa della gratissima visita, anticipo a Lei personalmente i miei fervidi ringraziamenti e anche i cordiali auguri di felice onomastico e godo professarmi.

Roma, 16 giugno 1927.

Della Signoria Vostra Re.ma
dev.mo nel Signore
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

In reliqua Italia.

In Angelico iuventutis Patrono centenariis honoribus cumulando omnibus forte Italiae urbibus tempore praeivit Biturgensis civitas (Borgo S. Sepolcro), quae iam inde a mense ianuario 1926, curante praesertim P. Natali Copelli (Prov. Ven.) qui tunc illic concionabatur, sollemnes in honorem Sancti Aloisii festivitates egit, datis etiam a Rectore Seminarii officiosissimis ad Patrem Nostrum litteris.

Eodem fere tempore quo Romae Comitatus, quem diximus, Aloisianus constituebatur, etiam Mantuae, ad cuius dioecesim natalis S. Aloisii pagus pertinet, similis Coetus cogi coeperat, praeside RR. DD. Ioanne Baptista Peruzzo, e Congregatione Passionistarum, Episcopo Auxiliari Mantuano, cuius merita in tota huius anni centenarii celebratione fovenda haud facile enumerari nec satis laudari possunt. Hic, qua est erga Societatem benevolentia, suo quoque Coetui nomen Praepositi Generalis Societatis inscribere voluit, ne (ut ipse aiebat) a gloria inclyti Filii inclyta eius Mater abesse videretur. Cui petitioni ita die 28 martii 1926 respondit Pater Noster :

A Sua Ecc. Rev.ma Mons. Giov. B. Peruzzo
Vescovo Ausiliare di Mantova.

Eccellenza Reverendissima,

Profondamente commosso per il delicato pensiero che l'E. V. ebbe verso di me, degnandosi d'iscrivermi tra gli illustri personaggi che costituiscono il Comitato d'onore delle Feste Aloisiane in codesta Diocesi, ne La ringrazio di tutto cuore, non tanto per la mia umile persona, quanto per la Compagnia di Gesù che rappresento.

Come V. E. opportunamente osserva, S. Luigi Gonzaga è nostra gloria comune: gloria fulgidissima di codesta illustre Diocesi, nel cui territorio nacque e mandò i primi raggi della sua santità ; gloria purissima dell'umile famiglia di S. Ignazio, a cui il Signore e la Vergine Madre vollero fare un sì prezioso regalo. Grati a Dio per tanto favore, ci sforzeremo dappertutto di secondare

secondo le nostre forze il sacro entusiasmo che già si accende in tutto il mondo, cooperando del nostro meglio alle saggie iniziative dei Vescovi, e mirando a un frutto sodo e duraturo per il risanamento morale e l'elevazione spirituale della gioventù.

Aderisco dunque ben volentieri al Programma che l'E. V. ha voluto inviarmi, e faccio voti che i frequenti pellegrinaggi già preannunziati portino al fortunato Santuario di Castiglione delle Stiviere numerose schiere di giovani desiderosi di apprendere alla scuola dell'Angelico loro Patrono come si possa e si debba unire il baldo brio di una vita ancora in fiore colla piena padronanza e vittoria di sè e con la fermezza di una volontà che non conosce debolezze, nè vuole nulla negare a Dio. Auguro al venerando Pastore, che da tanti anni regge con mano sapiente la Diocesi di S. Anselmo, e a V. E. che con tanto zelo lo aiuta, auguro, dico, di vedere in quest'anno rinnovati gli spettacoli di fede che nel 1891 facevano esultare di santo giubilo l'anima grande di Colui che allora era Vescovo di Mantova e più tardi il mondo cattolico salutava col dolce nome di Pio X.

Chinato al bacio del sacro Anello, prego l'E. V. di presentare i miei umili ossequi a S. E. Mons. Vescovo, e di credermi

Roma, 28 marzo 1928.

Di V. E. Rev.ma
devotissimo servitore
WLODOMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

Quid autem cum Mantuae tum Castellione Stiverorum factum sit, breviter quidem, sed sufficienter nec semel in communibus nuntiis innuimus (1).

De gloriosis sacri Aloisii capitis itineribus per praecipuas mediae et septentrionalis Italiae urbes item aliquid superioribus communibus litteris dictum est (2). Complura ibi nonnisi obiter tacta ampliorem mererentur narrationem, sed ne haec nostra commentaria nimis excrescant, litteras referemus, quibus RR. DD. Peruzzo, Auxiliaris Episcopus Mantuanus, Patri Nostro finem illius itineris describens, etiam quae variis in locis antea suis ipse oculis viderat vividis verbis complectitur:

Reverendissimo Padre,

La sera del giorno 8 di marzo, con un trionfo quale nessuno degli antenati suoi ebbe, è tornata a Castiglione delle Stiviere la Venerabile Testa di S. Luigi Gonzaga. Da Brescia alla sua città natale per circa 35 chilometri di strada ogni casa era addobbata, ogni fedele

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 540-541; item, hic supra, pp. 5-6, 60-61.
(2) V. supra, pp. 5-7.

in ginocchio. Castenedolo, Montichiari e Carpenedolo hanno superato ogni previsione e Castiglione delle Stiviere unitasi ai paesi vicini è venuta a riavere S. Luigi a tre chilometri dalla città, dopo aver mandato a Brescia più di 40 automobili che facevano corteo a quello su cui troneggiava il Capo di S. Luigi Gonzaga. Più dettagliate notizie potranno essere date alla P. V. Rev.ma dal P. Miccinelli.

E così è terminato il viaggio del caro S. Luigi Gonzaga, che ovunque ha suscitato fremiti indescrivibili di devozione, di ritorno a Dio e di fervore cristiano.

Mentre con tutto il cuore ringrazio Iddio del bene operatosi in tante anime, devo ringraziare nella persona della P. V. Rev.ma i Confratelli di S. Luigi che nelle varie città hanno compite improbe fatiche per preparare i popoli al grande avvenimento. Ho ammirato in modo particolare quanto fu fatto a Torino, a Chieri, a Gozzano, a Modena, a Piacenza ed a Bergamo. Il loro lavoro però fu largamente benedetto da Dio. Il premio maggiore l'avranno dal Signore e dal Nostro Santo. Se la P. V. Rev.ma avrà propizia occasione, sarà forse bene che renda noto al S. Padre quanto per intercessione di S. Luigi è avvenuto. Il cuore paterno del Vicario di G. C. se ne rallegrerà.

Per ora preghi per me, che ne ho tanto bisogno, mentre con ogni augurio per la P. V. e per la Compagnia mi professo in C. J.

Mantova, 10 marzo 1927.

della P. V. Rev.ma
U.mo e dev.mo
† GIO. BATTISTA, VESCOVO

Alicubi, praeter brevem festorum periodum, quo reliquias Aloisianas coram venerari licuit, sollemnis centenarii commemorationem opportuniore tempore celebrata fuerat aut celebranda reservabatur. Sic v. gr., Augustae Taurinorum mense iunio 1926 per integram hebdomadam (20-27 iunii), singulis diebus pro singulis urbis scholarum generibus assignatis, tota Taurinensis iuventus caelesti Patrono est dedicata: et nihilominus mense februario 1927 non minore cum civium exsultatione angelico Iuveni iterum festivis honoribus acclamatum est, cum sacrum eius caput illud deferretur, quod venerabundi exceperunt non modo Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Iosephus Gamba eiusque clerus et ingens populi multitudo, sed etiam magistratus civiles et militares, praeunte serenissimo Principe Humberto, Regis Italiae filio et herede, qui particulam ex ossibus S. Aloisii

theca affabre ornata inclusam eiusque vitam a P. Virgilio Cepari conscriptam sibi a Superiore domus oblatas laetus gratusque accepit et nomen suum archiconfraternitati Aloisianae Castellione Stiverorum institutae volens lubensque dedit. — Cuneum vero, clara item Pedemontanae regionis urbs, cum insignes illas Aloisianas reliquias intra sua moenia habere non potuisset, hanc suam iacturam compensare voluit, splendidum parans Aloisio triumplum haud facile superandum. Mense maio anni 1927 exeunte, opera et industria Nostrorum, qui florens ibi Collegium habent (Prov. Taurin.), totam civitatem aliosque finitimos pagos insolita eaque sanctissima laetitia pervasit: animis magna Sacramentorum frequentia et divini verbi praedicatione rite dispositis, die 26 maii pulcherrima per urbanas vias incessit sacra pompa, nonnullis Episcoporum infulis et praesertim romana purpura Eminentissimi Cardinalis Donati Sbarretti cohonestata, qui ab Urbe illuc se contulerat.

Ceterum etiam in aliis Italiae regionibus, per quas sacrum Aloisii caput nullo modo evehi potuit, ut in Italia meridionali et in Sicilia, nulla fere fuit vel parva urbs, quae Angelicum iuventutis Patronum peculiaribus honoribus non sit prosecuta, et infiniti propemodum essemus si vel nudum civitatum pagorumque elenchum retexere vellemus.

Ut tamen quaedam commemoremus, praeter sollemnia Neapoli aliisque inurbibus praecipuis Neapolitanae Provinciae habita, magna praestiterunt, in Provincia Sicula, Panormitana Residentia et Collegium nostrum " Gonzaga „ item Panormitanum. Praemisso triduo, die festo Angelici Iuvenis (21 iunii 1927) Sacrum sollemne fieri debuit in platea " Marina „ dicta. Tum 5.000 iuvenum ex omnibus scholis ac panormitanis institutis, publice divina Dape refecti sunt. Cantus et orationes et musicen, quoniam persaepe alias descripsimus, praeterimus: ne tamen nos fugiat Eminentissimi Archiepiscopi Card. Alexandri Lualdi omniumque Panormitanarum auctoritatum interventus ad felicissimam musico-litterariam academiam, quae horis pomeridianis in atrio Residentiae, plausu maximo, faustissimo exitu, celebrata est.

In urbe etiam Neto (Noto) in eadem Provincia Sicula praecipuo fructu animarum, per Exercitia spiritualia iuvenibus repetita, P. Leander Preziosi de his festis bene meritus est, quae

mille quoque scholarum alumni ex urbe Calathanisio (Caltanissetta) celebrarunt (28–31 dec. 1926).

Sed iam ad exteras nationes gressum faciamus, de quibus si perpauca dicemus, hoc plerumque erit non quia minora ibi facta sint, sed quia haud multa ad nos relata sunt.

In aliis Europae regionibus.

Ut nihil dicamus de communi peregrinatione Romana ab adolescentibus variarum nationum instituta, ut alias narravimus (1), ac de festis et pietatis exercitiis quae eadem fere ratione ubique fieri solent, colligemus hic quaedam paululum extra consuetum ordinem facta, nationibus secundum alphabetum dispositis.

ALBANIA:

Summo consensu omnium ordinum civium, omniumque Religiosorum festa Aloisiana peracta sunt. Scodrae (Scutari), in aede cathedrali, ritus ab Archiepiscopo RR. DD. Lazaro Miedia, clero et populo celebrati. Iuventus catholica omnis interfuit: pacto Aloisiano subscripsit: reliquus populus catholicus frequentissimus fuit fructuque maximo ad Sacramenta accedendo participavit. Mahometani ipsi, quorum ingens est numerus, rem admirati, urbisque praefectus aliique primores gratulati sunt. Pompae sacrae vespertinae nulla alia adhuc par fuerat. Sancti vita, optima lingua populari conscripta, quocumque penetravit; quod mirum quantum ad prosperum festorum exitum contulit. Melodramma etiam compositum, et, adstantibus prima vice nationum consulibus, pluries postea repraesentatum est: foliorum periodicum, coetus Aloisiani albaniensis instrumentum, publicatum. Praecipua in his fuit P. Laurentii M. Viezzoli (Prov. Ven.) opera, qui peregrinationem quoque albaniensem Romam deduxit, de qua in superiore fasciculo dictum est (2).

ANGLIA et SCOTIA:

In Anglia S. Aloisii apostolus hoc tempore fuit P. Cyrillus Martindale. Hic singulari industria usus est cum solus celebrationis huius actor designatus esset. Ante omnia iuvenum Univer-

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 537–547, 559–562.
(2) V. supra, pp. 7–8.

sitatis Oxoniensis subscriptiones in pactum aloisianum collegit easque Romam ad Summum Pontificem transmisit. Deinde multa de duobus Sanctis Iuvenibus divulgavit in ephemeridibus et periodicis. Tum insulam peragrare coepit: sicque omnes Angliae dioeceses obivit ubique sermones, conciones, adhortationes, conferentias, proiectas luce figuras de Sanctis Aloisio ac Stanislao repandens. Nec fiebant haec tantum in templis vel locis sacris, sed e cathedris Universitatum, in aulis municipalibus, saepe etiam in theatris et spectaculorum locis, in navibus, in carceribus, in opificum officinis, in metallorum fodinis, adhibito etiam opportune ad rem recentissimo invento quod est radiophonium. Hac ratione ad vicies centena millia hominum notitia et Sanctorum cogitatio pervenit. Aliquando trium dierum secessus ad viros habiti sunt, etiam ubi minus sperandum erat; ut cum ad velivolorum mechanicos in ipso eorum campo triduum ipse Pater concionatus est. Apud classiarios milites saepissime fuit; nec minus in castris exercitus terrestris: Londinense etiam vulgus eum audivit.

In Scotia enormis fuit accursus, variarum urbium praeeuntibus Episcopis. Edimburgi sermoni ad detentos in custodiis habito, ipse urbis gubernator etsi protestans adfuit, adeoque permotus est ut Exercitia spiritualia pro eis peteret. Glasguae mille homines nautici conferentiae adfuerunt. Universim in tota Scotia nonaginta millia hominum Patris Martindale sermones audierunt.

Et generatim tota haec methodus propria fuit ac peropportuna in regionibus protestantibus et fructus protulit ab ipso Summo Pontifice laudatos, de quibus etiam nos egimus supra in communibus Societatis nuntiis (1).

AUSTRIA:

Etiam in Provincia Austriae voluntati Patris Nostri celebrandi anniversarium canonizationis saeculare SS. Aloisii et Stanislai non sine fructu animarum, iuvenum praesertim, peregrinatione Romana obsecundatum est.

In Ecclesiis nostris sex Dominicae Aloisianae maiore hoc anno sollemnitate maioreque fidelium concursu sunt celebratae.

Ad notitiam Sanctorum propagandam editi sunt libelli a P. Engelberto Maas et P. Francisco Stadler de S. Aloisio, a

(1) V. supra, pag. 8.

P. Ignatio Mühlleitner de S. Stanislao, periodica Congregationum B. M. V. peculiari quoque modo Sanctorum memoriam celebrarunt.

Belgium:

Belgium cum primis nationibus recensendum, quae, dedita opera, Gonzagam coluerunt. In multis Collegiis et institutis tridua festo praecesserunt: in templis maximis urbium Mechliniae, Gandavii ac Leodii ipsi Episcopi ritibus sacris praefuerunt, iuventute omnium scholarum catholicarum participante.

Antuerpiae singularis fuit sollemnitas et celebritas: nam Sacro quod in aede maxima, assistente Illmo Archiepiscopo Mechliniensi Iosepho Ernesto Van Roey, die 17 octobris 1926 peractum est, novem iuvenum millia adstabant, aliis quatuor vel quinque fidelium millibus non computatis; nec tantum adstabant sed unanimiter Missam concinebant, qua absoluta, agminibus ductis, coram Archiepiscopo processerunt. A meridie vero decem millia alumnorum in aedes publicas quas "la Bourse„ dicunt (neque enim erat locus) convenientes, consessum Aloisianum celebrarunt in quo oratores primi subsellii exempla Sancti iuvenum Patroni efferentes in conspectu tantae iuventutis imitanda proposuerunt.

Similia facta sunt in aliis urbibus fere omnibus: in oppidis etiam et in vicis festivitates sunt habitae, iuxta Episcoporum adhortationes et incitamenta: quamplurimi enim epistolas, ut dicunt, pastorales de hac re circummiserunt. Secessus quoque iuveniles, praecipuus ille quidem festivitatum fructus a Coetu romano propositus, frequentes fuerunt, v. g. in Domo Alkensi: de quibus, post Episcopos Nostrosque, Foedus Iuventutis Catholicae, Coetus "Aloysianen„ sed in primis Iuventus Operaria Catholica optime sunt merita.

Tornaci (Tournai) peculiaris festivitas acta est die 27 iunii 1927, qui triumphalis dies finem imposuit anno iubilari S. Aloisii. Hora 10, in ecclesia Cathedrali, splendide ornata, Missam pontificalem celebravit, qua semper est benevolentia, illustrissimus Praesul RR. DD. Vedastus Antonius Rasneur. Aderant circiter quatuor millia fidelium, ex quibus 3.500 alumni ex variis scholis urbis Tornacensis et regionis vicinae. Alumni, duce peritissimo cantus Magistro Cathedralis, optime cantarunt Missam *de Angelis* dictam et in fine Missae canticum in honorem S. Aloisii. Post Evangelium, ad fervidam istam iuventutem pulcherrima,

per semi-horam, verba fecit P. Carolus Van Sull (Prov. Belg.). Expleta caere monia, coram Episcopo in solio Cathedralis sedente, tamquam acies bene ordinata, traducti sunt centeni isti iuvenes, Pastori Dioecesis, velut milites suo duci, ovantes. Fatente Episcopo, idemque asserentibus omnibus, ex utroque clero, qui adfuerant, numquam forsan tam splendida, tamque feliciter adimpleta visa est invenerabili illa Cathedrali caeremonia. Deo et angelico eius servo Aloisio sint laudes!

CECHOSLOVACHIA :

Etiam ibi S. Aloisius debitis obsequiis est cumulatus, Iuvenes autem, qui mense decembri 1926 Romam venerant, tantis laudibus illam peregrinationem apud suos extulerunt, ut tempore Paschatis 1927 aliae iuvenum turmae illinc Urbem petierint.

GALLIA :

Gallia tota peculiarem suam Romanam peregrinationem, eamque copiosam, ad sepulcrum S. Aloisii mense aprili 1927 transmisit, ut retulimus in communibus Societatis nuntiis (1). Possunt quidem multa addi, sed brevitati studentes nova tantum insigniora et minus nota exhibemus.

Igitur, ut a Provincia Franciae incipiamus, Parisiis coetus pro festis Aloisianis institutus est. Mense novembri 1926 ineunte, Lutetiae, viginti insimul templa triduum aloisianum celebrabant. Ei sollemniter finis impositus in aede maxima *Notre-Dame :* aderat vera puerorum iuvenumque multitudo, omnis illi aetatis et conditionis : studentes et operarii, cives et suburbani, ex omni iuvenili catholica consociatione. Eos omnes ad Aloisianam imitationem excitavit P. Petrus Lhande (Prov. Tolos.) : caeremoniae autem praefuit Em. Card. Archiepiscopus Ludovicus Ernestus Dubois, cum toto metropolitano Capitulo.

Peculiares honores caelesti suo Patrono tribuendos curavit Collegium Parisiense a Sancto Aloisio nuncupatum ; item sollemnes ritus habiti sunt etiam extra septa domorum Societatis ut ad S. Sulpitii, S. Onuphrii, S. Ambrosii aedes : oratores erant selecti ; iuventus vero suo Sancto Patrono se devovebat.

(1) V. supra, pag. 7.

Venetiis (Vannes) in Britannia minori, Collegium nostrum S. Franciscii Xaverii (Prov. Franc.) splendida festa exornavit, perbelle S. Stanislaum cum S. Aloisio coniungens. Ritus habiti sunt in aede cathedrali, Episcopo praeside, concionatore P. Carolo Parra (Prov. Tolos.). Concursus talis qualis in festis sollemnioribus haberi solet: iuventus urbis universa adfuit: adulti quoque et populus fructum insignem retulerunt.

Lugduni in nostrum Collegium S. Ioseph (Prov. Lugdun.) die 20 Februarii 1926 convenerunt iuvenes congregati, deputati ceterorum urbis Collegiorum ut cum nostris festum aloisianum agerent. Aderant ergo delegati Ordinis SS. Trinitatis, Minimorum, Maristarum, Chartusianorum: quinque ergo cum Nostro Collegia quae Sancto iuventutis Patrono simul se tradebant. Re autem vera ad Missae Offertorium uniuscuiusque Collegii Praefectus, suorum alumnorum omnium nomine publice "pactum aloisianum" protulit. Secutum est parvulum ientaculum et recreatio communis; mox oratio panegyrica et Sanctissimi Sacramenti Benedictio. Factum belle ac bene in omnibus reliquit desiderium iterum conveniendi et congressus istiusmodi renovandi.

Simile quid in urbe S. Stephani (St. Etienne) in eadem Provincia Lugdunensi accidit. Triduum caeremoniis sacris, consessibus, theatro, proiectis luce imaginibus celebratum: conclusum vero iuventutis catholicae interventu die 6 februarii 1927.

In Provincia Tolosana, urbs Mons Pessulanus (Montpellier), ut constat ex relatis, egregie de Aloisianis sollemnitatibus merita est. Dies 3 februarii 1927, pro tota iuventute Montis Pessulani festivus omnino fuit. Sanctus iuventutis Patronus, qua ritibus religiosis (600 Synaxes), qua concionibus, qua scaenicis et ex machina repraesentationibus, omnibus laetitiis celebratus est. Collegium nostrum S. Francisci Regis ac Nostri multam operam contulerunt: accesserunt instituta, patronatus, scholae liberae, iuvenes grandiores, omnes paroeciae et omnia opera catholica urbis ab Episcopo invitata, eoque praesente omnium facta est ad Sanctum consecratio.

Non inferiora his sollemnia habita sunt Tolosae, Burdigalae, Sarlati, etc. in eadem Provincia Tolosana; item Aquis Sextiis (Aix), in Provincia Lugdunensi, atque Ambiani (Amiens), Rhemis (Reims), Metis (Metz), Insulis (Lille) in Provincia Campaniae.

GERMANIA :

Treviris (Trier), in pervigilio S. Aloisii (20 iunii 1927), quatuor millia iuvenum in aedem cathedralem convenerunt ut annum bis centenarium celebrarent. Accessus iuvenibus tantum permittebatur. RR. DD. Episcopus ad eos orationem habuit, qua ad virtutes Aloisianas exstimulavit. Secuta est magnifica et devotissima pompa, quae festum memorandum clausit.

De reliquis Germaniae regionibus novimus quidem Aloisianum centenarium nullibi non fuisse commemoratum, sed nihil singillatim ad nos relatum est, praeterquam de zelo ludimagistrarum Monachiensium in Bavaria, ut alias innuimus (1).

HIBERNIA :

In catholica Hibernia mirus fuit erga Aloisium fervor. In omnibus praecipuis insulae urbibus festivitates sunt institutae.

Dublini, PP. Nostri in sua S. Francisci Xaverii aede sollemnitates celebrarunt. Appositus ritus ad omnium urbis scholarum iuvenes indictus est in quo omnes, quibus per aetatem liceret, angelico Pane sunt refecti. Alius ritus, eodem cum fructu, studentibus Universitatis et societatum iuvenilium legatis reservatus est : fidei et cultus mirabile et gratum spectaculum evasit.

Nec tantum urbes sed et oppida et pagi in Sancto colendo certarunt : scilicet Hiberniae Primas Em.us Card. Patritius O'Donnell aliique Episcopi ad id hortati fuerant. Unde scribunt impossibile esse omnia loca numerare quae hortationibus paruerunt. Seminaria item omnia propterea exsultarunt. Numerus subscriptionum in pactum aloisianum insignis fuit. Inter hos subscriptores Summum etiam Pontificem perculit quorumdam puerorum nomina trepida manu ac plumbo signata : nomina erant miserorum puerorum qui per Dublini vias ephemerides venditant. Fuit scilicet qui hos etiam pueros S. Aloisii amorem edoceret ! Tanto animorum bono ac fructui e festis percipiendo summam et eximiam operam dederunt Fratres a Scholis Christianis nuncupati, quibus propterea magna laus tribuenda est. Hi, non modo Nostros in festis parandis ubique iuvarunt, sed praeterea suos alumnos fere

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 547.

omnes Exercitiis spiritualibus a Nostris excoli voluerunt, et in suo pro antiquis alumnis periodico libello cultum S. Aloisii vehementer nec semel promoverunt.

HISPANIA:

Etiam de Hispaniae meritis in festis Aloisianis insignia relata sunt in communibus nuntiis (1), quibus haec addere iuvat.

Matriti (Prov. Tolet.), ineunte novembri 1926, SS. Aloisio et Stanislao sollemnissima Academia litteraria dicata est in theatro " Fontalba „. Actum sua praesentia decorabant summi quique ac praecelsi viri ex republica cum religiosa tum civili. Ex illa enim aderant Nuntius Apostolicus, Cardinalis Hispaniarum Primas, Indiarum Patriarcha, Matritensis Episcopus, aliique; ex hac, Regii Infantes, Minister quoque Michael Primo de Rivera aliique tres publicis rebus curandis Ministri cum quodam militari Duce generali, urbisque Praefecto (Alcalde). Cetera multitudo theatrum stipabat ad ultima usque subsellia, quemadmodum in sollemnioribus spectaculis contingere solet. Coepti sunt sermones, elegantes illi quidem ac sensu pleni, a Congregatis Marianis, quos " Luises „ vocant, recitati, omnes ad duorum Sanctorum laudem. Hos sermones excepit negotiorum exterorum Ministri oratio, qui celebrationis significationem socialem, civilem, religiosam, hispanicam, iuvenilem explicavit, atque in " Luises „ renovatae Hispaniae germina salutavit. Deinde drama " Heroum Speculum (S. Aloisius) „ exhibitum est, auctore sodali domino Mariano F. Lluch. Splendidissimae atque ornatissimae Academiae finem fecit cantus " Salve „ quem in honorem Virginis a Bono Consilio edidit auctor Eslava.

Alibi si non regius iste apparatus externus ac splendor, non minor exstitit animi fervor ac fructus. Dignum quod recolatur est exemplum Congregationis Marianae a S. Stanislao in urbe Iuliobriga (Logroño) in Provincia Castellana. Pueri isti cum sex dominicas devote celebrassent ac S. Aloisii statuam emissent et in Congregationis sacello collocassent, statuerunt centenariam commemorationem perenni monumento, quod gratissimum foret Sancto, celebrare. Scilicet ex ipsorum numero maiores natu ac fervidiores novam Congregationem, quae a S. Aloisio denominaretur, constituere quae monumentum a S. Stanislao Aloisio erectum evadet.

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 548.

Singulare quid etiam, in Provincia Baetica, urbis Hispalis (Sevilla) Congregationes praestiterunt. Hae centenariam festivitatem nocturna vigilia coram Sanctissimo recolere voluerunt. Itaque a nocte quae inter 27 ac 28 iunii (1926) diem intercedit sacrae excubiae coeptae sunt, a multis sodalibus frequentatae.

Sollemnissima celebritas Aloisiana etiam Tarraconae (Prov. Arag.) habita est. Convenerunt omnes Marianae Congregationes, ac Sacro in cathedrali, pompa deducta per urbem, congressu et concionibus in theatro catholico, auspice Em. Cardinali Archiepiscopo, Francisco Vidal y Barraquer, Aloisium summe illustraverunt. Etiam Caesaraugustae (Zaragoza) sollemnes cultus utrique Sancto delati sunt.

Festa, pompas et academias, Ilerdae (Lérida), et Gerundae (Gerona) in Prov. Aragoniae, Murciae (ubi est Congregatio regia) in Prov. Toletana, Comillae (Comillas, Collegium Nostrorum et Universitas Pontificia) in Prov. Legionensi, Oniae (Oña) in Prov. Castellana, habitas, nomine tenus annalibus consignare cogimur, ne in infinitum abeamus.

HUNGARIA:

Hic etiam, teste P. Iacobo Bùs festis praefecto, commemorationis copiosus extitit fructus. Dioecesani festorum curatores, epistolarum commercium inter se instituerunt, ex quo alius ab alio certior fiebat quid in quaque urbe et provincia ad finem consequendum fieret. Urbes namque et castella quidam cursitabant ac iuvenes populumque in Sancti cultum adducebant. Quibus conatibus Deus uberrime benedixit, quemadmodum numerosae accessiones in pactum aloisianum manifestant.

IUGOSLAVIA:

Die 7 septembris 1926 Romae aderant complures delegati sodalitatum croatarum, quas *Orlice et Orlovi* (idest *Aquilarum*) vocant, eosque Summus Pontifex hortatus est ut, iuventutem renovantes ut aquilae, ad sublimia sese elevarent exemplo Sanctorum Francisci et Aloisii. In magna Aloisiana peregrinatione mense decembri habita, non deerant qui Iugoslavicae iuventutis personam agerent.

LUSITANIA:

Lusitani adolescentes, animorum motu plane elatiore, celebrandum alterum a delatis S. Aloisio Sanctorum honoribus sae-

culum constituerunt, in urbibus maxime frequentioribus, ubi eorum quaedam esset consociatio. Ex voluntate igitur Romani Consilii saecularibus festis promovendis, ubique fere aut triduo aut per hebdomadam totam suum Patronum utcumque honorandum curaverunt.

Sine ullo tamen errandi periculo, id Ulyssiponi (Lisboa) vindicare possumus, quod aliis praefuit civitatibus; nam saecularia instauravit sollemnia precibus triduanis, postea vero, a die 13 novembris ad 20 usque, hebdomadam quam dicunt Aloisianam inusitato prorsus sic instituit splendore, ut concionibus, quae maxima audientum frequentia quotidie a P. Ioanne Ferreira Fontes habebantur, absolutis, mira quaedam ad Corpus Christi sumendum multitudo simul convenerit. Quo praeterea saecularibus festis eo ipso die finis imponeretur, sollemniter "*Te Deum*" personatum est, praesidente Summi Pontificis in Lusitania Legato Excell.mo ac RR. DD. Sebastiano Nicotra, atque verba faciente Episcopo Leiriensi, RR. DD. Iosepho Alves Correia da Silva. Vespere, in aula coetus quem Lusitani vocant "*Liga Naval*" consessus maximo apparatu et celebritate habitus est; ibi tum iuvenes de S. Aloisio accurate dixerunt, interpositis de eiusdem Sancti vita imaginibus luce expressis. Idem porro caeremoniarum summarium quae Caelesti Iuvenum Patrono alibi indictae sunt.

Hac nimirum ratione Portugalensis civitas (*Oporto*), ubi triduanae preces bis sunt habitae; hoc etiam modo *Santarém*, *Torres Novas*, *Evora*, *Braga*, *Guarda*, ceterisque locis bene multis. At nonnumquam, ut in Leiriensi urbe, quaedam de S. Aloisio fabula data est scenae, quae non sine plausu apud adstantes excepta est.

Sed non his contenti, Lusitani se adolescentes maximis in Urbe festis sociatos voluerunt, ac proinde legaverunt nonnullos qui omnium nomine, se socios darent adolescentibus qui ex catholico orbe undique confluerent Romam. Eorum nomina ad S. Aloisii altare deposita, ubi ossa veneranda requiescunt, fuerunt. Huc si addas quod, quam maxime patet Lusitania, plures S. Aloisii Congregationes erectae sunt, omnia habeas quae de celebrando anno saeculari sint instituta. Si quidem non ubique eum splendorem obtinuerunt, qui par erat quemqueomnes optabamus, temporibus id censemus tribuendum, quibus septemdecim abhinc annis agitari videmur. Maximis enim appetita persecutionibus, quae suam in Lusitania iustam inhibuerunt libertatem, Ecclesia non illam efficere coniunctorum iuvenum temperationem

potuit, quae usque adeo apud alias gentes nobis est admirationi, quaeque magnam partem in causa fuit cur haec saecularia S. Aloisii sollemnia id quod volebamus, tandem obtinerent.

NEERLANDIA:

Romanam peregrinationem mense decembri 1926 plurimi iuvenum manipuli inierunt, et fructu haud ordinario.

POLONIA:

Cum ibi in festis centenariis praecipuum, ut par erat, locum habuerit S. Stanislaus, praeter ea quae de communi romana peregrinatione mense decembri 1926 habita et ea quae de Collegiis Nostrorum supra diximus, nihil occurrit enarrandum quod ad S. Aloisium peculiari ratione pertineat. Ad S. Stanislaum quod attinet, vide infra.

In America Semptetrionali.

CANADA:

In Canada commemoratio centenaria frequentissima et fructuosissima fuit. P. Mauritius Beaulieu (Prov. Can. Inf.), in regione festorum actor, prae primis ad Episcopos scripsit, qui omnes, promotore etiam dioecesano constituto, clerum populumque de re edocuerunt. Se decim ergo dioeceses in opus consenserunt. Deinde promotor nationalis ad praesides domorum institutionis primariae se convertit; et hi quadringenti petitioni adnuerunt: tum ad Seminariorum ac Collegiorum secundariae institutionis rectores perscripsit, quorum triginta et unum affirmative rescripserunt; hinc factum est ut duodecim millia alumnorum Sanctum suum Patronum celebrarent. Quebeci ceteris accessit etiam Universitas " Laval „ cum suo Rectore.

Iuventus Catholica cum suis 160 Circulis (sic vocant) vitae Aloisianae pacto institit: ad sexcentas numero paroecias opus Aloisianum pervenit: quinquaginta ephemerides rurales serio et cum dignitate elucubrationes de Sancto in vulgus sparserunt. Ars libraria, opusculis, imaginibus, schedis ubique diffusis mirum auxilium attulit. In his periodicus " Le petit Sainte Marie „ quod e Collegio nostro Marianopolitano (Montréal) prodit, singulare obsequium detulit: scilicet variorum Collegiorum adolescentium, qui viventes S. Aloisium imitati fuerant, vitas triginta collegit (miserunt

autem duobus vel tribus exceptis, omnia Collegia) quas in unum volumen redactas - numerum unicum vocant - Sancto ipso, Summo Pontifici, iuvenibus omnibus publicatum dedicavit. Academias vero, dramata, conciones, conventus, concursus, in primisque ritus religiosos, utpote res ordinarias, plurimi etsi momenti, praeterimus. Illud unum notatum sit fere numquam in publicis hisce manifestationibus S. Stanislaum a S. Aloisio fuisse seiunctum, sed contra perbelle sociatum.

MEXICUM:

Iniqua contra Ecclesiam eiusque ministros saeviente persecutione, nihil intra illius Reipublicae fines palam fieri potuit: diximus tamen ex heroica quoque Mexicanae iuventutis phalange dignos delegatos Romam venisse, ubi omnium ipsiusque Summi Pontificis admirationem et dilectionem cierunt.

STATUS FOEDERATI:

Ubique, praesertim in Collegiis Societatis et in paroeciis nobis commissis, Aloisianum centenarium rite commemoratum fuit, magno cum alumnorum et populi concursu et insigni Sacramentorum frequentia. Singillatim autem haec festa valde, ut patet, inter se similia enumerare satietatem pareret. Litterariae quoque et musicales academiae non raro habebantur.

De peregrinatione Romana iam mentionem fecimus. Hoc unum enucleatius hic dicere liceat, quod praesertim de Collegiis Spokanensi et Seattlensi (Prov. Calif.) relatum est. Antequam ado-Romanum iter aggrediendum selecti proficiscerentur, omnes alumni lescentes ad utrobique convenerant in sacellum Collegii et communi promissione pactum aloisianum spoponderant, cuius folia a singulis subscripta delegatis illis data sunt: iure ergo meritoque hi suorum condiscipulorum personam se Romae revera agere profiteri poterant.

In America Meridionali.

ARGENTINA:

Propter locorum distantiam nuntius de promovenda Romana peregrinatione serius illuc advenit, ideoque tempus non voluntas defuit. Festa tamen sollemnia, in nostris praesertim Collegiis, celebranda curarunt Nostri, praeeunte, ut par erat, magno Bonaerensi Seminario Pontificio Societati commisso.

BRASILIA:

P. Iosephus Visconti (Viceprov. Bras. Centr.), orante Archiepiscopo metropolita, centenariae commemorationis in urbe São Paulo exstitit promotor. Coetu facto, Vicario Generali praeside, constitutum est ut tertia quaque mensis Dominica die in qualibet paroecia Sancti memoria fieret, Sacro et sermone ad id habitis: simul tres essent maiores sollemnitates, hoc est: 31 dec. 1926, tempore paschali, 21 iun. 1927.

Die 21 aug. 1926 in basilica S. Benedicti, quae maximum Paulopolitanae urbis templum est, sollemnitas centenaria aperta. Singulari industria archiepiscopus iuvenum matres sororesque compellaverat ut eos verbis, praecibus, exemplo, ad hanc pietatem allicerent. Cuius rei fructus fuit ut iam, primo die sollemnis tridui, decem millia iuvenum ad sacram mensam accederent. Per eos dies concionabatur P. Iosephus Natuzzi (Viceprov. Bras. Centr.). Quanta porro commotio et magnificientia exstiterit ex eo poterit coniici, quod supplicationes frequentarunt Archiepiscopus, Reipublicae Ministri, Senatores ac populi Deputati.

In urbis etiam theatro publico, curante eodem Patre, cuiuslibet mensis 21 quoque die, sessio cum conferentia in honorem S. Aloisii habita est: earum primam recitavit forensis Doctor et Actionis catholicae litterariae in urbe Flumine Ianuario (Rio de Janeiro) Praeses, D. Jakson de Figueiredo. In nostro vero Collegio S. Aloisii, 21 item quoque die mensis ad iuvenes tantum sermo habitus de vita ad pactum Aloisianum conformanda, quod pactum iuventus Brasiliana tam alacriter suscepit.

Romae quoque iuvenes peregrini Brasiliani pietate sua cum primis praestiterunt: nam non tantum communibus functionibus diligenter ac devote vacarunt, sed variis aliis sponte susceptis operam dederunt, atque multa alia loca sacra et urbes non Italiae modo sed et Galliae, duce P. Visconti, feliciter peragrarunt; incolumesque ac laeti, aucta pietate, in patriam sunt reversi.

CHILUM:

Chilum quoque memoranda praestitit. Ipse Archiepiscopus Sancti Iacobi (Santiago) coetum hominum selectissimorum ad festa paranda constituit, eique Episcopum Auxiliarem praefecit: mox alii Episcopi consenserunt. In urbe principe, ut de ea tantum

loquamur, " hebdomada Aloisiana „ (21–27 iun. 1927) celebrata est: quotidie conferentiae, validissimi oratores, maximus concursus: paucis splendide ac religiose omnia cesserunt. Coronam his imposuit sollemnissima omnium urbis iuvenilium societatum generalis sacra Synaxis ac Pontificalis ritus quem egit ipse RR. DD. Benedictus Aloisi-Masella, Nuntius Apostolicus.

Item in urbe Valparaiso, curante P. Iosepho M. Ezpeleta, tunc nostrae Residentiae Superiore, qui ab Episcopo Aloisianus promotor fuerat constitutus, sollemne triduum habitum est, ad quod omnia civitatis Collegia per vices convenerunt.

COLUMBIA:

RR. DD. Bernardus Herrera Restrepo, Columbiae Primas, epistola in id missa, ad S. Aloisium imitandum Columbianos excitavit. Clerus populusque Pastoris votis satisfecit. In omnibus Reipublicae dioecesibus folia ad pactum aloisianum distributa sunt. Sollemnissima festivitas in ipsa urbe Bogotá, quae Reipublicae est caput, praeparata est. Ea tantae fuit magnificentiae, ut ipse summus Reipublicae Praeses D. Michael Abadia Méndez, Ministri ab interno, a laboribus publicis, a bello, nec non publicae educationis praesides, maior urbis praefectus (*Alcalde*) et ipsa militaris Schola, eidem participaverint.

Ut universa iuventus adesse posset, Sacrum publice sub dio peractum est in amplissima eaque pulcherrima platea quae a " Bolívar „ nomen ducit, in qua est nationis et urbis " Capitolium „. In huius ergo fastigio, inter altissimas patriae monumenti columnas S. Aloisii apotheosis collocata est; tabula scilicet picta, enormis dimensionis, Sanctum referens dum actu pueros innocentes tuetur, opera ea quidem P. Iacobi Páramo. Angeli et flores et lampades electricae, miro prorsus ordine dispositae, gloriam complebant; altare quoque eminens ac sacro suo ornatu oculos admirabundos in se convertebat.

Igitur, hora 7 diei 12 septembris 1926, sacrae caeremoniae coeptae sunt. Octo millia puerorum, aciebus ordinatis, coram Aloisio de mundo triumphante processerunt, ac suum quisque locum tenuit. Ultimus prodivit RR. DD. Ismael Perdomo Archiepiscopus Coadiutor celebrans, quem penes celsissimus Reipublicae Praeses sequebatur: populus confertus quantus dici vix potest. Mille voces hymnum Aloisianum concinuerunt. Cum Sacrum pe-

rageretur, ad signum praesentis Dei milites arma detulerunt et hymnus patriae decantatus est. Cum ad sacram Dapem perventum est, P. Ismael Delgado (Prov. Columb.) ardenti oratione iuvenum corda inflammavit. Hi numero sex millium Hospitem divinum ore exceperunt, quem viginti Sacerdotes eodem tempore eis praebebant. Gratiis peractis, nobilissimae urbis matronae, inter quas Reipublicae Praesidis ac primi Ministri uxores, ientaculum his pueris distribuere sibi honori duxerunt.

Eodem die, hora 9ª RR. DD. Paulus Giobbe, in Columbia Nuntius Apostolicus, sollemne Sacrum pontificali ritu in aede Societatis celebrando, festum auxit ac suam propensionem in Sanctum et in Societatem demonstravit: musicen curabant PP. Salesiani: orationem panegyricam habuit P. Desantiago O. S. F.

Post solis occasum in theatro maximo urbis sollemnissima Academia musico-litteraria habita est. Tria millia spectatorum adstabant, inter quos conspicui iterum Reipublicae Praeses ac Nuntius Apostolicus, multus clerus, nobilitatis ordines, ac primae urbis familiae. Ars oratoria, ars poetica ac dramatica, ars musica de laudibus S. Aloisii certamen inierunt. Huius academiae labor et laus praecipua tribuenda est PP. Salesianis, quorum meritum in his aliisque parandis et proferendis insignis fuit. Scriptum publice est, si de tantis festis inter urbes praemiorum distributio fieret, primum ad urbem Bogotá pertineret.

Nobis relata sunt etiam quae pro nostro Sancto Collegium S. Petri Claver in urbe Bucaramanga peregit: item de sollemnitatibus in urbe Baranquilla; sed, maiora tantum persequentes, cogimur narrationem restringere atque ad alia properare.

PARAQUARIA:

Etiam haec Respublica quae nuper Nostros, suos olim vere parentes, rursus excepit, eorundem opera alias in colendo Aloisio aemulata est. Praemissa epistola, RR. DD. Symphorianus Bogarín, Episcopus Paraquariensis, coetum ad festa constituit, quae 19 iunii 1927 absoluta sunt. Triduum praecessit, quo P. Philippus Lérida (Prov. Argent.-Chil.), Residentiae Assumptionis Superior, omnes disposuit ad festum celebrandum, pactum Aloisianum et alia multa in Cathedrali explicans.

Illo igitur die 19 iunii, ingens, invenum in primis, multitudo

in plateam ante templum maximum, neque enim hoc omnes caperet, prout provisum erat, convenit. Ibi Sancti imago luce, auro, peripetasmatis versicoloribus redimita, super aram splendebat. Iamque hora 8 matutina omnis urbis catholica iuventus Sacro pontificali, in semicyclum disposita, assistebat: in primis Foederatio iuventutis catholicae Paraquariensis, duo Collegia Patrum Salesianorum a Ven. Bosco, Collegium S. Ioseph, Universitatis alumni, Collegium etiam militare cum suis praefectis ac ducibus, reliqua puerorum ac populi turba vel vias confluentes occludens. Ut ad Communionem Sacrum pervenit, haec, tantae iuventuti, militibus non exclusis, a septem Sacerdotibus distributa est. Mox secuta per legatos oblatio ac subscriptio Pacti Aloisiani. Inter eos legatos insignis erat qui vicinam Rempublicam Uruquariam repraesentabat, ab ea catholicae iuventutis Foederatione missus, ut illius quoque nationis obsequium S. Aloisio deferret. Sacris igitur peractis, matronae puerulis ientaculum ministrarunt; cetera iuventus, ephebi, exploratores, equites cum Episcopo Seminarium ingrediuntur. Ibi a Foederationis Praeside ac Vicepraeside, ab Uruquariensi delegato, a P. Ferdinando Pérez (Prov. Argent.-Chil.) e Bonaerensi Seminario Pontificio, ac demum ab Episcopo orationes fervore ac spiritu plenae habentur, cum omnes vehementer sint commoti. Catholici per urbem dictitabant: Talia ac tanta cum commotione festa nunquam vidimus!

PERUVIA:

Inter ceteras nationes per haec festa spectabilissima fuit ac prorsus admiranda Peruvia. Lima, quae urbs caput est, magnificentissimis ac plane insolitis honoribus annum centenarium clausit.

Initium his dedit " Certamen litterarium Aloisianum publicum „ modo quo nullibi factum esse nobis constat. Scilicet variae thematum classes ex vita Aloisiana iuvenibus utriusque sexus qui studiis superioribus, mediis, inferioribus vacarent, propositae sunt, praemiis donandae.

Prima ergo classis, pro scholis superioribus in tota Republica, haec argumenta continebat: 1. Missio educatrix S. Aloisii; 2. S. Aloisius et illusiones iuveniles; 3. S. Aloisius et characteris efformatio; 4 S. Aloisius idea ac iuventutis Pratronus (poesis). Primo penso praemium dabat ipse summus Reipublicae Praeses;

secundo Excell. Archiepiscopus Limensis; tertio Minister a publica educatione; quarto Universitatis S. Marci Rector. Secunda classis scholis mediis haec evolvenda proponebat: 1. S. Aloisius ac status electio: praemium ab ill.^{mo} Cathedralis Limanae Capitulo; 2. S. Aloisius puritatis Angelus: praemium ab Universitatis Catholicae Rectore; 3. S. Aloisius caritatis Martyr: praemium a Collegii de Guadalupe Rectore; 4. Triplex S. Aloisii amor in Dominam Nostram (poesis): praemium a Collegii S. Thomae Aquinatis Rectore. Tertia demum classis pro scholis inferioribus ex his elucubrationibus exsurgebat: 1. S. Aloisii vita in castris: praemium ex Collegii SS. Cordium Rectore; 2. Flores sanctitatis praecoces Florentiae: praemium ex Collegii S. Augustini Rectore; 3. Prima S. Aloisii Synaxis: praemium ex Collegii Immaculatae Conceptionis S. I. (Miss. Peruv., Prov. Tolet.) Rectore; 4. S. Aloisius adolescentiae exemplar ac Patronus: praemium ex Collegii Dominae Nostrae a Mercede Rectore.

Praeterea assignabantur iudices Professores: tradebantur normae, constituebantur leges ut in tanta multitudine nulli fraudi, nulli errori locus esset. Peractis certaminibus, praemiisque a iudicibus constitutis, eorum proclamatio ac distributio die 21 iunii in cavaedio nostri Collegii Immaculatae Conceptionis contigit.

Sed huic sollemnitati, cui adfuit ipse summus Reipublicae Moderator, maiores aliae iam praecesserant. Nam die 19, qui dominicus erat, in novo foro aedium " del Progreso „ augustissimo ritu sacris operatus est Ill. ac RR. Archiepiscopus DD. Aemilius Lisson: circumstabant cum vexillis Limana iuvenum instituta, praesidibus supremis Reipublicae Moderatoribus nec non Italiae Consule ac Ministro cum sua colonia. Iuvenes allocutus est R. P. Franciscus Arámburu O. F. M.

Dies vero 21 iunii fuit omnino triumphalis. Initium dedit generalis sacra Synaxis, hora octava, in urbis institutis ac maioribus templis, in provincia etiam, a iuvenibus celebrata. Hora nona coepit triumphus. Sancti statua curru invehebatur e loco " Avenida Paz Soldán „ ad aedem principem portus " Callao „: Sancto adstabant variarum scholarum legati: currum trahebant alumni Scholae Italicae aliique ephebi: tum alii Religiosorum vel Angelorum ritu vestiti: undique cantus alumnorum, undique strepitus musicorum: singula Collegia non recensemus nam longum est: quindecim siquidem ordinibus vel aciebus pompa constabat. Sic ergo hora 11 ad aedem quam diximus portus " Callao „ perven-

tum est. Ibi in platea Sacrum peregit R. D. Nuntii Apostolici Secretarius, verba fecit P. Iosephus Magañas (Prov. Tolet.); his peractis supplicatio recessit ut quiescerent aliquantulum atque ad pomeridianas celebrationes se compararent.

Hora igitur tertia a meridie in cavaedio nostri Collegii Immaculatae Conceptionis nobilissima Academia musico-litteraria, adstante summo Reipublicae Moderatore, inchoavit. Culmen attigit in Sancti vitae repraesentatione melo-dramatica ex titulo " Las dos Coronas „. Personas melodramatis agebant electi ex omnibus Collegiis alumni, videlicet ex Collegio nationali " de Guadalupe „, ex Collegio PP. Sacrorum Cordium " de la Recoleta „, ex Collegio Patrum Mercede, ex Collegio PP. Augustinianorum, ex Collegio PP. Salesianorum " de Maria Auxiliadora „, ex Collegio PP. Dominicanorum " de S. Tomás „, ex Collegio Fratrum a Scholis Christianis " de la Salle „; partes vero ipsius S. Aloisii germanique eius fratris Francisci nec non Angeli cuiusdam caelestis delicate omnino alumnis nostri Collegii Immaculatae Conceptionis assignatae sunt, ex quibus etiam erant pueri oculares, cantores et choreas ducentes.

Post haec, uti diximus, communis pariter certaminis litterarii facta est praemiorum proclamatio ac distributio cui successit " S. Aloisii Apotheosis „ ex tabula viva (cuadro vivo), ac demum cum eius hymno finis praegrandi actioni impositus est. Ita omnia Collegia et omnes Religiosi quodammodo in unum fusi sunt, nam de gloria communis Patroni et pro templo et pro foro augenda contentio erat. Exemplum sane mirandum et posterorum memoria et imitatione dignum. De quibus omnibus, post Deum, grates debemus coetui profestis parandis, cui praeerat RR. DD. Petrus Paulus Drinot y Pierola e Congregatione Sacrorum Cordium (Picpus) Episcopus titularis Basilinopolitanus.

Uruquaria

Sollemne triduum in honorem Sanctorum Aloisii et Stanislai habitum est Montevidei, in urbe Uruquariae principe, diebus 17-20 iunii 1926, praeside ipso urbis Archiepiscopo RR. DD. Francisco Aragone. Videantur etiam quae de festis in Paraquaria peractis diximus, ubi delegatus quoque Uruquariensis aderat.

VENETIOLA:

Multa eaque sollemni ritu peracta narrantur, praesertim Caracae, ubi Collegium et Seminarium et Residentiam habet Societas; sed cum similia sint iis quae alibi facta esse diximus, hic ea repetere non vacat.

In quibusdam Asiae regionibus.

IN INSULIS PHILIPPINIS:

Manilae (Prov. Arag.) Collegium S. Ioseph pulcherrima Academia festum Christi Regis ac festum Aloisianum coniunxit die 30 octobris 1926 cum praemiis discipulos donaret. Exhibuit etiam drama ex titulo "El Angel de Castellón".

IN MISSIONIBUS SINENSIBUS:

Scribunt ex Sinis, Sanctorum Aloisii et Stanislai memoriam centenariam fere ubique in nostris Missionibus esse habitam. Exercitia spiritualia, tridua, sermones, sex dominicarum cultus, in Seminariis, in Collegiis, Residentiis, stationibus, orphanotrophiis, in ipsis etiam publicis paroeciis, ordinaria fuere.

Sollemniori ratione Sanctos iuvenes coluerunt haec instituta, de quibus ad nos scriptum est:

Zikawei (Miss. Nankinensis, Prov. Franc.): Collegium S. Ignatii alumni (oblato quoque dramate), Schola Normalis, Schola externa S. Aloisii, Viri Congregationis Marianae. – Seminarium minus Zikawei, S. Stanislaum per eius novendiale ac festum eximie coluit.

Pro sua potestate ceterae Sectionum et Districtuum scholae, ex quibus nominantur: Shanghai (Schola et variae Paroeciae), Wusih, Yang-tcheou, Haimen, Tsang-ka-leu, Ta-ming-fu.

Iuvenum quoque pompae aliquando ducentorum, aliquando quingentorum, aliquando etiam mille ducentorum hinc inde institutae sunt, nec academiae et dramata, sermones, cantus et musicae defuerunt: omnesque in pactum Aloisianum consenserunt quod litteris sinicis subscriptum ad Summum Pontificem miserunt. Inter alios memorandi sunt iuvenes litterati provinciae Cely (Miss. Sien-hsien, Prov. Camp.), qui communibus promissis non contenti peculiaria addiderunt, eaque eximie picta ad Coetum Romanum miserunt. Ita etiam Sinae effecerunt ut inter SS. Aloisii et Stanislai cultores, gloriosum locum obtinerent.

In Indiis:

Mangalore (Prov. Ven.) per annum edebatur singulis mensibus libellus Aloisianus periodicus, cui " The Aloysian „ nomen erat. In eadem urbe, curantibus praesertim magno Societatis Collegio quod a S. Aloisio appellatur et Seminario episcopali, festa Aloisiana perbelle celebrata sunt.

Tuticorini quoque, praeeunte RR. DD. Tiburtio Roche S. I. urbis Episcopo (Prov. Tolos.), peculiari cum sollemnitate centenarium Aloisianum commemoratum est.

Ceterum idem fere dicendum de aliis nostris Missionibus, etsi haud multa inde ad nos relata sint.

In quibusdam Africae regionibus.

In Aegypto:

Collegium Cairense in Missione Aepyptiaca (Prov. Lugdun.), exeunte maio 1927, alumnos, sermonibus, Sacramentis, sancto Sacrificio praeparatos, Sancto suo Patrono consecravit. Pompa quoque, delata Sancti statua, facta est.

In Congo Belga:

Iuventus Congolensis Vicariatus Apostolici de Brazzaville S. Aloisio consecrata est per P. Aloisum Le Bail, ex Congregatione Sancti Spiritus, cui illa Missio est concredita. Puerorum huiusmodi nigritarum subscriptiones, Romam missas, aliquot momenta subsistens, ipse Summum Pontifex demiratus est. Christiani isti, etsi in summa omnium rerum penuria, suis 120 francis belgicis Romam pro sollemnitatibus decembris missis, certe plus quam alii multi miserunt. Cum pecuniam sufficientem ad statuam sibi comparandam non haberent, peritior ex ipsis artifex in silvam perrexit et ex trunco informi pulcherrimum (pro suo utique captu ac modo) S. Aloisium eduxit. Porro haec statua pompae, pietatis, ac festivae devotionis centrum exstitit.

In Rhodesia:

Simili modo P. Stanislaus Siemienski (Prov. Pol. Min.), Missionarius in Rhodesia Septemtrionali, nigellos suos devotione S. Aloisii per annum centenarium erudivit.

Conclusio.

Atque hic sub finem, grati animi causa, mentione dignas reputamus duas Congregationes religiosas, quae prae ceteris de hac centenaria commemoratione bene sunt meritae: sunt autem Salesianorum Congregatio et Congregatio Fratrum a Scholis Christianis, qui ubique nobiscum amice conspirarunt ad finem praecipuum huius centenarii assequendum, qui erat ut christiani iuvenes, caelestem suum Patronum intimius noscentes, perfectius eum imitari contenderent.

Faxit Deus ut fructus sane non exigui, quos iam cernimus, perseverent et ad plenam maturitatem perducantur. Qui quidem fructus visibiles nonnisi iudicium quoddam nobis praebent eorum certe multo uberiorum fructuum, qui soli Deo innotuerunt, utpote qui in cuiusque cordis latebris abditi sint.

Nam, ut de festis Aloisianis in nostro Scholasticatu Pullacensi prope Monachium (Prov. Germ. Sup.) peractis optime notavit ille relator, " de interioribus, de profectu in scientia, virtute et gratia, quae nequeunt mensurari vel numerari, nil pro certo dicere possumus, quamvis sint maioris momenti et plurimi laeto gratoque animo profiteantur se Sancti Aloisii intercessione hoc anno multas accepisse gratias ".

III.

DE QUIBUSDAM CELEBRATIONIBUS IN HONOREM S. STANISLAI KOSTKA

ANNIS 1926 - 1927.

Quamquam, toto anno bis saeculari a canonizatione Sanctorum Aloisii et Stanislai, ille primarius iuventutis Patronus praecipuas honoris partes habuit, eius tamen Seraphicus Frater plerisque locis, etiam extra Poloniam (ut v. gr. in Canada, in Uruquaria, in Hispania) ab eo non est dissociatus. Multa igitur obsequia quae in variis regionibus Aloisio tributa esse superius retulimus, hic quoque forent recolenda; sed prudens lector ea per se ipse repetere velit.

Quaedam potius colligemus quae pressius S. Stanislaum respiciunt; non ingratum erit ea simul prae oculis habere.

In nostris Domibus probationis.

Et primo quidem, Novitiorum nostrorum, ut par erat, assidua ubique cura fuit, ut impensius hoc anno saeculari dilectissimum Patronum venerarentur eiusque virtutes perfectius imitarentur; eius autem festum anni 1926 peculiari pietate et cum sollemnitate solito maiore in omnibus probationis Domibus peractum est. Etiam ibi tamen una cum S. Stanislao memoria quoque S. Aloisii perbelle statis temporibus coniungebatur. Non vacat hic singulas industrias enumerare, quibus Societatis Novitii ex variis Provinciis sancta aemulatione invicem certarunt: exempli causa exscribemus eas, quas Novitii Provinciae Venetae iam inde ab initio anni 1926 sibi adhibendas proposuerant; hasque seligimus non quidem quasi sint aliis meliores, sed quia eas Pater Noster, utpote quae primae omnium ad eius notitiam pervenissent, cum omnibus Provinciis tunc communicari iussit.

Industriae Quaedam

ad annum bis saecularem a canonizatione SS. Aloisii et Stanislai pie et cum fructu celebrandum, quae a Novitiis Prov. Venetae adhibentur, et aliarum quoque Provinciarum Novitiis proponi possunt.

1. Kalendis ianuariis: novus annus aliqua sollemnitate Sanctis Patronis dicatus est.
2. Singulis hebdomadis collatio a Novitiis instituatur de ea peculiari Sanctorum Iuvenum virtute, quae in Recollectione menstrua a Patre Magistro proposita est ad imitandum.
3. Singulis feriis quintis peculiariter exorentur Sancti ut multas et selectas ad Societatem vocationes obtineant.
4. Quotidie complures pro cuiusque devotione et fervore exerceantur pietatis et mortificationis actus, quibus simul collectis contexatur veluti spiritualium florum pretiosa corona, in fine anni saecularis Sanctis Patronis sollemniter offerenda.
5. Per manus SS. Aloisii et Stanislai omnia huius anni virtutum opera Deo offerantur pro incremento Congregationum Marialium et pro spirituali utilitate omnium iuvenum, quos nostra Societas excolendos habet.
6. Diebus 13 et 21 cuiusque mensis a Patre Magistro tradentur puncta pro meditatione vespertina, quae peculiarem aliquam sententiam, virtutem, operam Sanctorum Patronorum evolvent. Succedet pium aliquod commune exercitium ad animum in devotione Sanctorum renovandum.
7. Attente legantur vitae SS. Aloisii et Stanislai.
8. Consulitur recitatio parvi officii S. Stanislai.
9. Ante lectionem « extraordinarii » quod vocant, recitari possunt privatim orationes liturgicae (« Oremus ») eorundem Sanctorum.
10. Sex Dominicae, quae dicuntur, S. Aloisii et decem Dominicae S. Stanislai, addito aliquo peculiari exercitio, maiore cum sollemnitate celebrabuntur. Sollemniori etiam ritu instituentur Novendiales preces ante dies festos Patronorum. Virtutes vero, quae per totum annum in Sanctis Patronis spectandae et imitandae proponuntur, sunt hae praesertim: Ardens devotio erga SS. Sacramentum; — Filialis in Deiparam pietas et cultus; — Fervidus in Societatem amor; — Illibatissima puritas.
11. Tres ultimi huius anni dies, peculiari sollemnitate celebrandi, festa saecularia absolvent.

Romae.

Praeter ea, quae, etiam dum maxima Aloisiana festa in Urbe agebantur, in honorem S. Stanislai facta fuisse alias diximus (1), in templo S. Andreae ad Quirinalem, ubi " Beniamin illius adolescentulorum Sanctorum „ (ut eum belle vocare solet Summus Pontifex Pius XI) mortales exuviae servantur, haud ordinaria sollemnia habita sunt. Ad ea paranda peculiaris Coetus coactus est (2), et agendorum festorum programma italice et latine typis impressum per domos religiosas et Seminaria diffusum. Cum autem haec pagella et quid intenderetur apte dicat et quid revera stato tempore factum sit plene in antecessum describat, opportunum videtur hic ei locum dare:

IN SECUNDA CENTENARIA COMMEMORATIONE
CANONIZATIONIS S. STANISLAI KOSTKAE
(1726-1926)

Ab illo obsequii ac laetitiae studio, quod ubique terrarum in universis Christi fidelibus canonizationis S. Aloisii Gonzagae bis centenaria inflammavit commemoratio, grata memoria Stanislai Kostkae sanctissimi adolescentuli seiungenda profecto non est. Hic enim, omnium Sanctorum Confessorum quibus decreta sint canonizationis sollemnia aetate minimus, eidem Sancto Aloisio sodalitate religiosa est frater, atque, simul cum eo eodemque die, evectus est ad supremos Caelitum honores.

Admirabili sane consilio Deus disposuit, ut quos vitae in terris degentes mira similitudo coniunxisset, eosdem una gloria idemque triumphus complecteretur. Uterque nobilissimo genere ortus, vanitates omnes et terrena commoda, quibus vitam suam instructam fore facile praevideret, generoso animo contempsit, atque, ut uni Deo viveret, ingentibus laboribus aerumnisque superatis, religiosae tandem vitae portum uterque Deo favente tenuit. Summum uterque perfectionis ac sanctitatis fastigium brevi consecutus est; quamquam neuter Romae est natus, Romae tamen, in hac Urbe aeterna, religiosae vitae curriculum ambo coeperunt et perfecerunt; ambo denique ab hac Sanctorum civitate ad caelestia regna evolarunt.

Itaque vita similes, post mortem etiam in summa gloria adepta coniuncti, in secunda quoque sui triumphi centenaria commemoratione consocientur omnino decet oportetque. Cumque Sanctus quisque ra-

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 538, 539, 540, 543.
(2) *Ibid.*, pag. 529.

dium et imaginem peculiarem infinitae Dei sanctitatis ac perfectionis in vita tamquam notam sibi propriam prae se ferat, adolescentulus iste Stanislaus tribus gemmis sanctitatis fulgentibus potissimum micat: tenero apprime amore, ut amantis filii, erga B. Virginem Mariam; singulari prorsus pietate erga augustissimum SS. Eucharistiae Sacramentum; denique angelica integritate, quae cum diligentissima officiorum obtemperatione coniuncta, eum simul cum S. Aloisio patronum caelestem et exemplar iuventutis amabilissimum effecit.

His tribus praecipue notis, in hac fausta eius gloriae memoria, eum honoribus afficere volumus; itaque omnes ubique fideles hortamur, ut sollemnibus festis et peculiari religione eius cultum pervulgent, inter iuvenes praesertim, eosque ad Stanislai imitationem incendant.

Singulari ratione romanos cives hortamur: etenim Romae ille perfectissimam suam vitam absolvit; hic in S. Andreae templo in colle Quirinali eius sacrum corpus asservatur: hic exstant venerata Cubicula ubi inter amplexus B. Virginis, quae sese illi conspiciendam praebuerat, sanctarum Virginum choro comitante, decessit e vita.

Adolescentes tirones omnium utriusque sexus Religiosarum Sodalitatum cum qui Romae, tum qui in aliis orbis regionibus degunt, maiorem etiam in modum hortamur: Stanislaus enim ipsorum Sanctus vere dici potest, quippe qui novitius matura sanctitate fuerit, atque ab ipso tirocinio ad caelestia fuerit festa translatus. Quam hortationem ad omnes vitam interiorem sectantes extendendam censemus, eo quod illa peculiaris omnino Stanislai nota fuerit, qua nota aetas nostra prorsus carere videtur: nempe sine strepitu sanctitas, sed fidelitate in officiis exsequendis eximia; sanctitas abdita ac recondita cum Maria SS. et Iesu in Eucharistiae Sacramento.

Neque vero alius stimulus peropportunus deest. Hoc ipso tempore, cum maior in Ecclesia urget necessitas eorum qui ecclesiasticae vitae institutum amplectantur, utilissimum est adolescentuli Sancti memoriam revocare: is enim, singulari prorsus ad religiosam vitam invitatione vocatus, clara voce ac manifesto B. Virginis nutu, recte quidem eorum qui divino famulatui sese mancipant potest appellari patronus.

Ad curanda festa in honorem S. Stanislai Romae constitutus est Coetus honorarius, cui praeest Em. Card. Camillus Laurenti, S. Congr. Relig. Praefectus; huic additi sunt Socii Excel.mus Dom. Iosephus Palica Vicesgerens Romae, Excel.mus Dom. Ladislaus Skrzynski, Poloniae, huius Sancti patriae, Legatus, Ill.mus ac Rev.mus Dom. Camillus Caccia-Dominioni Praefectus Cubiculi Secreti Pontificis Maximi, Excel.mus Dom. Henricus Barberini Princeps Praenestinus, Comes Ioannes A. Castelli-Mandosi-Mignanelli ex intimis Pontificis Maximi Cubiculariis, Rev.mus P. Iacobus Pagella Romani Polonorum Collegii Rector,

Coetui vero curatori praeest Ill.mus ac Rev.mus Dom. Casimirus Skirmunt.

Horum festorum praecipua pars agetur diebus 13 mensis novembris et 31 mensis decembris huius anni.

Diei festo S. Stanislai, 13 mensis novembris, sacrarum concionum series praeibit; nec non supplicationes in triduum cum Sacris Pontificalibus et orationibus panegyricis in S. Andreae templo. Dies 31 mensis decembris, anniversarius canonizationis, peculiaribus supplicationibus celebrabitur ac praesentia peregrinorum ex omnibus undique regionibus profectorum, qui Romam venient S. Aloisium veneraturi, cui etiam S. Stanislaum pie consociabunt.

Peregrinationes etiam pro Romanis civibus indicentur, Communiones generales ad eius Aram et in sacris Cubiculis (diebus et horis statuendis) separatim pro Tironibus Religiosarum Familiarum, Collegiis, Scholis, Sodalitatibus Marianis, iuvenum Consociationibus, atque aliis hominum coetibus.

Vitam S. Stanislai, nec non opusculum quod ad illustrandum Monumentum, sacraque Cubicula valeat, typis edenda curavimus; imagines luce graphice impressae, vulgo « *photographiae* ac *diapositivae* » pictarum tabularum, rerumque eius vitae memorabilium praesto sunt: quae ad cognitionem huius Sancti Adolescentis, eiusque Aedis, etiam in sermonibus ad hunc finem habitis deservire poterunt. Imagines praeterea ac numismata veneunt, quae speciem illius verisimiliorem eiusque vitae facta praecipua, Aedem et sacra Cubicula referant.

Nitores fulgentes fervidaeque flammae S. Aloisii Gonzagae et S. Stanislai Kostkae simul coniunctae integerrimae vitae proposita caritatisque caelestis ignem in omnibus, maxime vero in iuvenibus, incedant.

DOM. CASIMIRUS SKIRMUNT
Coetus curatoris Praeses.

P. STANISLAUS FEDERICI S. I.
A Secretis Coetus.

Nec defuerunt Stanislao Summi Pontificis laudes et obsequia: nam, et in allocutionibus de S. Aloisio eius quoque nomen ad os Beatissimi Patris saepe occurrebat (1), et de eo amplam eamque pulcherrimam mentionem fecit in Epistola Apostolica " Singulare illud „ (2), et magnum florum manipulum, ut

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 560.
(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 432.

alis narratum est (1), ad eius sepulcrum sponte misit, et die 30 decembris 1926, privatum Sacrum coram peregrinis iuvenibus celebrans, Missam propriam S. Stanislai adhibere voluit (2).

Mediolani.

Mediolani iam diu instituta est et floret consociatio quaedam iuvenum, qui in studia incumbunt, a Sancto Stanislao nuncupata, quae in ipso archiepiscopali palatio sedem habet. Huic praeest fervidissimus sacerdos saecularis, Rev. D. Aloisius Testa, qui Nostrorum operam, praesertim ad sodales religionem docendam et ad Exercitia spiritualia tradenda, exquirit. Haec sodalitas Sanctum suum titularem honoribus peculiaribus persequendum hoc anno saeculari curavit. Mense decembri 1926, una cum peregrinis Aloisianis, manipulus quoque illorum S. Stanislai sodalium, ducibus eodem Rev. Dom. Testa et P. Ambrosio M. Fiocchi (Prov. Ven.) hodierno eorum religionis magistro, Romam venit et novum consociationis vexillum Summo Pontifici benedicendum detulit; etiam Patrem Nostrum adire voluerunt, ut suum erga Societatem gratum animum ostenderent. Annuum vero S. Stanislai festum maiore cum sollemnitate celebraverunt.

Sed praecipuam Sancti Tutelaris commemorationem saecularem ad vacationum tempus remiserunt pii iuvenes, quando, a studiorum curis vacui et procul a magnae urbis rumoribus, in montana domo a Pio X appellata, quam in pago Biandino in Praealpibus sodalitas possidet, aestivos menses fraterna cum laetitia simul transigere solent. Ibi exeunte mense augusto huius anni, omnimodis pietatis exercitiis, Missa pontificali ritu a Cremensi Episcopo celebrata, academia quoque et concentibus festivis S. Stanislai memoriam coluerunt.

Venetiis.

Venetiis, non quidem peculiaris sollemnitas, sed tamen non obliteranda S. Stanislai commemoratio habita est mense decembri 1926. Nam, cum Poloni peregrini Romam ituri paululum in ea urbe constitissent, eos Eminentissimus Patriarcha Cardinalis Petrus La Fontaine die 21 decembris humanissime excepit eosque in Basilica S. Marci latina lingua disertissime est allocutus, tanta

(1) *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 529.
(2) *Ibid.*, pag. 543.

cum illorum iuvenum laetitia, ut sermonem integrum praeposita Eminentissimi oratoris effigie typis exprimendum curarint, quem nos quoque hic exscribendum ducimus:

Nobis gaudemus, vobis gratulamur, pii Patres et optimae spei adolescentes, vos salutantes ad aram hanc maximam Basilicae nostrae, in qua exuviae S.[i] Evangelistae Marci religiose asservantur. Gaudemus, inquam, *quia dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini glorificata est: dextera Domini exaltavit vos*. Cum enim iniquitate temporum respublica vestra expoliata, dilacerata, disiectaque esset et hostes eius eam demortuam conclamarent et sepulturae traditam; extemplo, ut B.[us] Bobola vester ante praedixerat, ope B.[ae] Mariae Virginis Reginae Vestrae et Sanctorum quorum in tutela vivitis, ad vitam revocata est, ad eam quidem vitam, quae, ni fallimur, ad meliora in dies progreditur.

Gaudemus insuper in memoriam revocantes Poloniam vestram haud semel, christiani nominis hostibus profligatis, optime de christiana Republica meritam esse, cuius veluti arcem exstitisse historia perhibet. Neque obliti sumus illius gloriosi foederis a Venetorum Republica initi cum inclyto Rege vestro Ioanne Sobieski, cuius laus longe lateque diffusa numquam deficiet: qui et in Veneta studiorum Universitate Patavina operam dedit Iuri addiscendo.

Fides vestra, carissimi, praedicatur in universo mundo: iter quod aggressi estis, nos omnes de vestra fide, spe et caritate certiores facit. Vos enim Romam contenditis, ut cultum et honorem exhibeatis tum Principibus Apostolorum Petro et Paulo, tum Petri successori Romano Pontifici, tum candidulo illi vestro Stanislao Kostka, tum denique Aloisio Gonzaga, qui sanctissimos Stanislai mores in seipso apprime expressit. O fortunati iuvenes, quorum Patriae caelum enarrat magnis vocibus gloriam Dei; siquidem Sancti vestri, nec pauci nec parvi nominis, fulgent veluti stellae. Heroas itaque agnoscite vestros: aemulamini charismata meliora. Agite, Romam pergite; non curiositas vos impellat sed pietas. Romae enim christianae religionis incunabula vobis se offerent in catacumbis, trophaea in Basilicis; victoriam vero Christi inter ruinas aedificiorum videbitis, ubi leges adversus christifideles passim conditae sunt. Ad amphitheatrum Flavium accedetis: profecto molem illam mirabimini. At vos non terrebunt bestiarum ululatus; neque plebis clamor: « *non licet vos esse; christiani ad bestias* ».

Imo medio in amphitheatro, inoffenso capite, Crucem Domini adorabitis virtutemque Martyrum haurietis. Levantes vero oculos vestros ad Capitolium non statuam Iovis videbitis, sed ipsa Crux Christi fulgebit, cuius in brachiis menti vestrae fas erit legere: « *Caritas, Humilitas* ». *Caritas*, adolescentes amantissimi; insonat enim illud Pauli Apostoli: « *Christus dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Humi-*

litas, quia « *humiliavit semetipsum Dominus Iesus factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* ». Hinc eius victoria: « *propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum* ». Profecto ingeminat Sanctus Pontifex Leo Magnus: *tota victoria Salvatoris, quae et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta.*

Et candor lilii quo Stanislaus et Aloisius fulgent, ex humilitate virescit; siquidem maiores nostri tradiderunt: *praeclara res virginitas et castitas, sed in humilitate locus earum.* Discite, discite, iuvenes egregii, dicam cum Augustino, non mundum fabricare etc., sed, quod Salvator insinuat, mansuetudinem et humilitatem cordis. Absona haec prorsus iis videbuntur, qui mundum diligunt. Sed quae consensio templo Dei cum idolis?

Vos, vos estis, templum Dei, quod decet sanctitudo. Christus virgo, Virginis filius, humilis in sancta Eucharistia, vos ad humilitatem invitat. Accedite, sumite, comedite, supplicibus vocibus rogantes: Domine Iesu Christe, B. Maria Virgine Matre tua dulcissima intercedente cum Sanctis omnibus, dona nobis humilitatis virtutem, ut fructificemus quasi lilium et rosa plantata iuxta rivum aquarum. O beatam, dicam cum Cypriano, Ecclesiam nostram! Floribus eius nec lilia nec rosae desunt: puritas et caritas.

Certate nunc, iuvenes, singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem, auxiliante D. N. I. C., cui honor et laus in saecula.

In Polonia.

Verum, ut omnino pronum erat exspectare, in Polonia praesertim honores speciales tributi sunt sancto iuveni Stanislao Kostka, inclyto gentis Polonae filio. Toto quidem anno non defuerunt signa popularis in eum pietatis et venerationis, sed ultimam hebdomadam, quae diem 13 mensis novembris 1926 praecessit, facile agmini cuidam triumphali comparares, qua Sanctus urbes vicosque Poloniae sollemni pompa peragravit: in omnibus templis catholicis, in omnibus iuvenum utriusque sexus scholis eius virtutes celebratae sunt ad easque imitandas omnes, iuvenes et senes, simul invitati.

Caput Reipublicae Varsavia (Warszawa) bis anno praeterito (1926) Stanislaum sollemni modo coluit. Prima vice, mense augusto quando in urbe publicus catholicorum conventus habebatur, in quo instituendo magnas partes habuit P. Ioannes Pawelski (Prov. Pol. M. et Maz.), Residentiae Varsaviensis tunc Su-

perior. Illis enim diebus, modo quo fieri potuit sollemniori, allatae sunt Varsaviam ex urbe Plock, quae ibi asservantur reliquiae S. Stanislai (1). Postea mense novembri in ecclesia nostra Varsaviae sacrae reliquiae depositae sunt in ara Sancto Stanislao dicata et tam ipsae quam etiam totum templum intus et extra tum alia supellectili tum luce electrica toto tempore, quo devotio novendialis duravit, copiose ornata. Officia sacra peragebant et panegyricas orationes in honorem Sancti habebant sacerdotes quotquot erant in civitate clariores. Ipso die S. Stanislai Eminentissimus Archiepiscopus Card. Alexander Kakowski Missam celebravit, deinde aliam Episcopus Czestochoviensis RR. DD. Theodorus Kubina. Vesperas sollemnes habuit Episcopus castrensis RR. DD. Stanislaus Gall. Hac die iuventus totius urbis a sacerdotibus magistris religionis praeparata, ad sancta Sacramenta accessit. Vespere eiusdem diei in aula publica societatis musicae praesentibus Eminentissimo Cardinali Kakowski, Episcopo castrensi Gall, Nuntio Pontificio Excellentissimo ac RR. DD. Laurentio Lauri, qui paulo post inter Purpuratos Patres est numeratus, Ministro Instructionis Publicae eodemque vices agente Praesidis Consilii Ministrorum Reipubblicae Domini Bartel, et postquam academia inceperat etiam ipso Praeside Reipublicae, Praelatis, Canonicis, praefectis et magistris scholarum et ipsa innumera iuventute, coram S. Stanislai effigie, quae scenae supereminens, placido vultu, videbatur adstantes adspicere, Academia publica coepta est. Tum adfuerunt qui orationibus panegyricis, versibus, cantibus, eius vitam virtutesque celebrarent. Placuit summopere omnibus, qui non aliam ob causam quam eius gratia huc convenerant.

Vilnae (Wilno), in illa antiqua Lithuaniae urbe principe, ipse Archiepiscopus metropolita Romualdus Jalbrzykowski festa in honorem S. Stanislai dirigenda suscepit, adscitis in partem huius operis aliis viris insignibus e clero et laicis. Devotioni novendiali in nostra ecclesia (Prov. Pol. M. et Maz.) magna multitudo adultorum et iuvenum assidui interfuerunt. Ultimo die Archiepiscopus novae imagini S. Stanislai benedixit. Missam sollemnem die dominica sequenti celebravit alius Excellentissimus Episcopus et deinde hospites insigniores in nostro triclinio excepti sunt. Vespere eiusdem diei discipuli nostri gym-

(1) Plock est sedes episcopalis dioceseos, ad quam pertinet Rostkow, locus natalis S. Stanislai.

nasii peregerunt pro theatro drama ab uno a Nostris compositum de fuga S. Stanislai, quod omnibus valde placuit eosque commovit. Etiam in antiqua ecclesia Societatis, quae tamen nunc Universitatis Vilnensis usibus deservit Nostrorum unus triduo ante festum S. Stanislai panegyricos sermones pronuntiavit. Die festo S. Stanislai duo millia iuvenum, qui in templum etiam cum vexillis et musica venerant, e manibus Excell. Archiepiscopi S. Communionem receperunt. Vespere notata est publica oratio domini cuiusdam socialistae. Celebravit quidem ille S. Stanislaum, sed et toti Societati, quae mater fuit huius Sancti, laudes quam maximas tribuit ob suum in historia momentum. Praeter alumnos scholarum mediarum, de quibus hucusque, alumni quoque Universitatis et etiam iuventus, quae scholis non iam utitur, tum piis in templis devotionibus, tum sollemnibus academiis S. Stanislai memoriam honoravit.

Caput Poloniae Maioris, Posnania (*Poznan*), non defuit communi devoti erga Stanislaum animi manifestationi. Praeter alia memoria digna est magna iuventutis pompa, quae vespere diei 13 novembris 1926 in urbe facta est. Interfuerunt tam alumni Universitatis quam scholarum, quae dicuntur mediae, scholarum opificum et infimarum (elementarium) et insuper societates iuvenum, quae corporis physicae educationi dant operam, omnes cum vexillis. Pompa illa, emensis urbis viis principalibus, pervenit tandem ad ecclesiam collegialem, qua etiam ipse Primas totius Poloniae, Archiepiscopus Gnesnae et Posnaniae, RR. DD. Augustus Hlond e Congregatione Salesianorum Ven. Bosco, recens tunc electus, et non ita post in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, a clero et adstantibus ad portam ecclesiae sollemniter receptus et clamoribus iubilantis turbae salutatus mox advenit. Post vesperas a quodam canonico sollemniter celebratas, ipse Primas suggestum ascendit, iuvenes allocutus est, afflatis verbis S. Stanislai iis imitandum proponens exemplum. Nostri etiam in propria Residentiae ecclesia (Prov. Pol. M. et Maz.) sacra fecerunt: quibus absolutis, idem Excell. Primas Missae sollemni a quodam praelato celebratae praefuit et dein prandio cum aliis hospitibus receptus ad P. Superiorem Residentiae propinans haec dixit: " Ordo qui hosce flores virtutum edidit, qui tam acriter pugnat et luctatur de regno Christi contra inimicos, qui tot merita nactus est de nostra patria, crescat necesse est benedictionibus caeli confor-

tatus et intercessionibus magnorum sanctorumque filiorum adiutus „.

Lódź quoque urbs, quae officinis celebris est, quaeque S. Stanislaum tum patronum totius dioecesis tum ipsius etiam ecclesiae cathedralis veneratur, in nostra ecclesia (Prov. Pol. M. et Maz.) sacram missionem unius hebdomadae peregit. Adeo multi conveniebant, ut saepe homines nimia turba urgente animo linquerentur. Quod eo magis mirum videbitur, si quis ob oculos habeat omnes fere urbis habitatores esse simplices operarios, qui post laborem diurnum vespere ecclesiam petebant, ut sermoni sacro necnon novendiali in honorem S. Stanislai assisterent. Proximo die dominico post missionem finitam et S. Communionem populo distributam, supplicatio e nostra in ecclesiam cathedralem perrexit, ubi sollemnis Missa in honorem S. Stanislai celebranda erat. Nec una tantum celebrata est; nam ob magnum concursum populi praeter eam quae in ecclesia celebrabatur, altera extra ecclesiam dici debuit. Duo item panegyrici sermones a nostris Patribus habiti: alter in ecclesia, alter in eius coemeterio. Vespere celebratae sunt duae academiae sollemnes, altera in aula societatis musicae, altera apud PP. Salesianos.

Eodem modo etiam Calissii *(Kalisz)*, ubi nunc est Domus probationis novae Provinciae Poloniae Maioris et Mazoviae, celebrata sunt novendiale et Missa sollemnis ab Episcopo loci et ipsa die S. Stanislai vesperae, necnon pia spectacula.

Ex aliis civitatibus, ubi Nostri in eadem Provincia Poloniae Maioris et Mazoviae domos habent, memoratu dignae sunt ex. gr. Chelm, ubi habitatores novum altare S. Stanislao erexerunt; Leczyca (P. Nicolai Lancicii ea patria est), ubi soli iuvenes parvis peculiis in commune collatis statuam Sancti procurarunt. In urbe Piotrkow, in qua Paulus Kostka frater S. Stanislai e vita decessit, praeter novendiale omnibus commune, Nostri triduum proprium pro iuventute scholarum mediarum utriusque sexus instituerunt. Aliud praeterea triduum PP. Franciscani celebrarunt in sua ecclesia pro scholis infimis. Iuvenes vero in aula, quae est in civitate maxima, bis spectaculum aliquod pium exhibuere. Pinsk non sola iuventus novendiali intererat, sed etiam milites, quorum delegati ex unaquaque centuria ad hoc electi quotidie ecclesiam adibant. Ipsa die S. Stanislai RR. DD. Sigismundus Lozinski, Episcopus loci, Missam pontificalem celebravit; vespere autem duae academiae sollemnes, una ab alumnis Semi-

narii, altera a iuventute laica, institutae sunt; nostri Scholastici academiam ad festa Natalicia reiecerunt.

Ex omnibus tamen civitatibus Poloniae, Cracovia *(Kraków)*, antiqua eius urbs caput politicum, hucusque autem caput, ut ita dicam, morale, in celebrando S. Stanislao facile palmam tulit. Ut taceam novendialia tum in utraque nostra ecclesia (Prov. Pol. Min.) tum in multis aliis templis celebrata, memoria digniora sunt duo tridua sollemnia, unum in ecclesia collegiali S. Mariae pro iuventute masculina, alterum in ecclesia S. Annae, quae ad Universitatem pertinet, pro iuventute feminina, habita: in illa unus e Nostris praedicavit, in altera quidam sacerdos saecularis. Ipso pervigilio festi instituta est confessio alumnorum omnium scholarum. Quamquam autem nemo adigebatur ad hoc religiosi officii genus, circa 10.000 iuvenum et puellarum ad confessionem et die sequenti ad S. Communionem accessere. Sabato die 13 novembris 1926 in publico urbis theatro academia oblata est. Qui academiae praelusit, antiquus per multos annos Sodalitatis Marianae dominorum praefectus, postquam mala hodiernae hominum societatis atris coloribus depinxit, subiunxit salutem posse venire a iuventute, si haec suum patronum S. Stanislaum in altissimis principiis religionis catholicae pro vita uniuscuiusque exprimendis sequatur. Secuta sunt cantus et musica ac denique drama a quodam Patre nunc iam demortuo (P. Alexandro Piatkiewicz) compositum, cuius inscriptio haec erat: "Ad maiora natus sum „, quod omnium animos vehementer commovit.

Dies subsequens dominica omnes quotquot Cracoviae erant in tribuendis S. Stanislao honoribus coniunxit. Iam inde a summo mane tum adulti cum iuvenes in loca iam antea sibi assignata convenire coeperunt, cum vexillis, comitante musica, dum in foro urbis principali, quae ad sollemnem cum reliquiis S. Stanislai pompam necessaria erant parabantur. Domus privatae et publicae vexillis, tapetibus, cereis accensis ornabantur et in multis etiam imago S. Stanislai floribus circumdata exponebatur. Reliquiae S. Stanislai, quae in nostra ecclesia S. Barbarae depositae erant, a nostris Scholasticis philosophis translatae sunt in vicinam ecclesiam collegialem S. Mariae ibique in altari Sancti Stanislai superne depositae. Desuper eminebat effigies Sancti, eum Angelis stipatum exhibens, qualis fuisse credendus est cum e manibus B. Virginis Infantem Iesum recipiebat. Tam

reliquiae ipsae, nova theca contentae, quam imago Sancti allatae erant e Domo probationis Staraviesiensi (Prov. Pol. Min.). Hora octava matutina RR. DD. Adamus Stephanus Sapieha, Archiepiscopus Cracoviensis, adstantibus archipresbytero ecclesiae, professoribus religionis scholarum, clero saeculari et regulari, Missam celebravit, scholarum alumnis S. Communionem distribuit necnon eosdem fervidis verbis allocutus est. Hora 10 Missa pontificalis ab ipso archipresbytero ecclesiae collegialis celebrata est assistentibus alumnis Seminariorum Cracoviensis et Katovicensis et numeroso clero, et praesentibus magistratibus Reipublicae et urbis necnon ducibus militaribus.

Eodem tempore in ecclesia cathedrali S. Stanislai Episcopi et Martyris, in qua tot Reges Poloniae sepulti iacent, alia Missa celebrata est adstante universo capitulo cathedrali et in nostra etiam ecclesia SS. Cordis Iesu Episcopus Silesiae aliud pontificale celebravit. In forum autem urbis maximum, prout iam dictum est, convenit innumera populi multitudo. Iuvenes item e locis, ubi convenerant, facta magna pompa, eodem pervenerunt, occupantes nunc locum ex utraque parte viae qua pompa cum reliquiis S. Stanislai transitura erat. Haec hora 12 portans reliquias egressa est. Reliquiae ingenti solio floribus ornatae portabantur a variis delegatis iuvenum. Praecedebat magnum agmen utriusque cleri, sequebatur vero Archiepiscopus metropolita Cracoviensis cum Episcopo Silesiae Polonicae RR. DD. Arcadius Lisiecki, stipati aliis praelatis et capitulo metropolitano: dein Palatinus Cracoviensis, summus in illa regione dux exercitus, praeses coetus eorum, qui hisce festis dirigendis praeerant, vice-praesides urbis duo cum aliis magistratibus consiliariis, magistratus militum, societates opificium cum vexillis et innumerae denique turmae civium. Supplicatio, facto totius fori circuitu, iterum ante ecclesiam S. Mariae substitit. Mox R. P. Ladislaus Jankiewicz, Praepositus Provinciae Poloniae Minoris, et alius Praelatus cum reliquiis suggestum ascenderunt, quo eos duo Principes Ecclesiae secuti sunt. E summa turri ecclesiae auditus est sonus buccinae, chorus autem cantorum hymnum aliquem sollemnem canere coepit. Tunc genuflexa multitudine, inclinatis vexillis, data est benedictio reliquiarum sanctarum. Hymno patrio decantato, reliquiae denuo portatae sunt in nostrum templum S. Barbarae et in altari depositae. Sub noctem usque populi multitudo eas venerabunda veniebat, coronis B. V., numismatibus, capsam reliquias continentem tangens.

Cracoviae item factum est, quod alias nullibi factum fuerat: collectae sunt, quae in urbe inveniri poterant, memoriae ad S. Stanislaum spectantes et in publicum propositae. Illustrissimi viri eas visitarunt, duce uno e Nostris, qui opportunas explicationes subiungebat. Omnium certe in se oculos manuscriptum autographum S. Stanislai, e nostra probationis Domo Staraviesiensi huc allatam convertit.

Ephemerides publicae tam de ipsis festis quam etiam de S. Stanislao eiusque pro tempore praesenti momento multum disseruerunt. Ea quoque, quae a Nostris eduntur, periodica mense novembri, si non integra, at certe magnam partem S. Stanislao dicata erant. Etiam post finita festa diu folia publica nuntiabant, quomodo urbes, oppida et vici in S. Stanislao hac occasione venerando invicem contendissent.

Quae enim his retulimus, ad ea tantum loca spectant, ubi Nostri domos habent, neque omnia. Unum adhuc nequit silentio praeteriri. Sunt in nostra Domo probationis Staraviesiensi (Staravieś) Prov. Poloniae Minoris insignes reliquiae S. Stanislai, una e costis. Quae cum capsa sat humili inclusae essent, in mentem venit procurandi tam caris reliquiis dignam qua includerentur thecam. Cum populus regionis pauper esset, neque multam pecuniam contribuere valerent, consultum fuit, ut qui adhuc aliquos nummos argenteos austriacos haberent, eos ad emendam thecam afferrent. Igitur post aliquot mense, sat argenti vim iam aderat (48 Kg.) maximam partem ex minutis populi oblationibus.

Collegium Nostrorum, domus religiosarum quae loco invenitur, Congregatio Mariana dominorum, aliae quaedam domus nostrae in Provincia, necnon missionarii inter Polonos Americae Septemtrionalis immo et indigenae africani, inter quos Patres Provinciae Evangelium spargunt, ad hanc rem unusquisque suas partes contulerunt.

Theca illa ab optima Varsaviae officina affabre facta est. Demum ipso pervigilio festi S. Stanislai anni 1926 Staraviesiam allata, sequenti die, reliquiis inclusis e sacello monasterii religiosarum, a quibus reliquiae recipiendae paratae erant magna pompa translata est. Praecesserat utique et hic frequentissimo populi concursu novendiale. Sollemnis autem illa pompa cum reliquiis facta est post meridiem festi S. Stanislai inter cantus, nolarum sonum, explosiones sclopetorum. Via aliquo arcu triumphali ornata erat.

Reliquias portabant per vices Nostri sacerdotes, Novitii scholastici, Novitii coadiutores, religiosae, sodales denique congregationum marianarum. Prope ecclesiam unus iuvenum S. Stanislaum advenientem ardentissimis verbis salutavit.

In ecclesia vesperae cantatae sunt et panegyrica oratio pronuntiata, et deinde usque ad horam 10 vespertinam sacerdotes confessiones excipiebant. Hac ipsa nocte unus Patrum reliquias Cracoviam detulit, ubi sequenti die ea, quae iam diximus festa celebranda erant.

Staraviesiae autem sequenti die iterum innumerae fere confessiones usque ad h. 5 postmeridianam exceptae sunt, mane Missa cantata et S. Communio distributa. Missa sollemnis ob magnum concursum in coemeterio ecclesiae dici debuit, post quam supplicatio cum Sanctissimo et " Te Deum „ secuta sunt ac denique post vesperas decantatas pium spectaculum ex vita S. Stanislai, cuius ipse titulus " In via „ viae eius ideam indicavit.

Anni bis saecularis mnemosynon.

Ad memoriam vero huius anni bis saecularis a canonizatione S. Stanislai servandam, approbante Patre Nostro, pulcherrimum nunc ipsum (1928) editur in Polonia mnemosynon, quo praecipuae et speciosiores Seraphici Nostri Novitii imagines in unum libellum coactae exprimentur, quotquot diligentissimo collectori quaquaversus inquirenti obtigit invenire.

Velit dilectissimus noster Stanislaus suis praecibus impetrare ut Novitiorum nostrorum numerus ubique in dies augeatur iique omnes ad ipsius exempla sectanda sacris divini amoris ignibus et tenera in Deiparam Virginem pietate fervidius incitentur.

IV.

P. LEONTIUS DE GRANDMAISON

E PROVINCIA FRANCIAE

(† 15 IUNII 1927)

P. Leontius de Grandmaison natales ex patriarchali familia Cenomani (Le Mans) habuit die 31 decembris 1868. In ipso iuventutis flore via sibi a Providentia destinatam agnovit, defensionem scilicet Ecclesiae et avitae religionis, ac Iesu Christi studium ope calami et preli, temporibus serviens; ac tum Societatem ingressus est (20 novembris 1886) cum in his consiliis approbari se sensit.

Tirocinio in Anglia, magisterio in patria defunctus, in Britanniam remigravit ut in Collegio Jerseiense theologiae operam daret. In ea quantum profecerit ex eo coniici liceat quod, vix curriculo absoluto, illico e discipulo magister evasit, Nostrorum prius in Collegio Lugdunensi (Fourvière) deinde, post tertium probationis annum, ad Cantuariam in Anglia eximius Professor. Cum, prae ceteris theologiae partibus, ad apologeticam nativo ingenio inclinaret et melius esset ad eam paratus, per hos annos tractatus de vera religione ac de Evangeliorum authenticitate explicare iussus est: peropportunum sane ad futura munera tirocinium. Eodem hoc tempore expeditiones sacras in regiones infideles sollicitavit, sed frustra, pristino divino consilio permanente.

Igitur exactis decem magisterii annis, in aciem descendit ut calamo proelia Domini proeliaret; campus fuit praefectura periodici "*Etudes*" quam suscepit anno 1908; anno autem 1925 etiam Superior domus effectus est.

Uti diximus, vir erat comparatus et ad id officii natus factusque: litteratus, artium cultor, in primis vero philosophus et insignis theologus, apologeta praesertim probatissimus, historiam religiosam et humanam psychologiam apprime callens. Iamque in Scriptorum Collegio, propter varios articulos annis superioribus praemissos, spectabatur.

Opportune vero tunc aderat, nam, quam erat impugnaturus,

modernismi haeresis inter doctos se insinuans serpebat. Hanc pestem iam ille detexerat etiam antequam oraculo pontificio conficeretur; ad origines morbi lethiferi ascenderat, quas in philosophia relativista (sic vocant) et in Kantianis placitis latere repererat.

Fatendum tamen optimum Patrem, qua erat animi benignitate, blandiorem nonnunquam fuisse, non quidem erga errores, sed erga quosdam pervicaces errantes, qui ob suam obstinationem nullam resipiscentiae spem faciebant.

Ut autem catholici armis paribus cum haereticis congrederentur et periodicum " *Etudes* „ iam aliunde onustum levaretur, novum periodicum condere deliberavit, qui alta studia religiosa sensu catholico renovaret, et aciem scriptorum electam formaret, hostibus opponendam. Mens erat ut libellus bimestris, periodici " *Etudes* „ supplementum technicum, opus investigationis et initiationis perageret et fidei bonis methodis scientificis ac submissioni S. Sedis prospiceret. Tanto operi Pater armamentaria subministravit: atque ita anno 1910 periodicum " *Recherches de Science religieuse* „ auspicatus est, quem ad obitum usque direxit.

Undecim annis — tempore eo quidem perquam difficili, ne de aliis angustiis dicamus — quibus Pater de Grandmaison " *Etudes* „ moderatus est, ea multum provexit, quin et eorum ulterioris progressus germina iecit.

Attamen vertex et cogitationum eius summa, ut innuimus, Iesu Christi studium semper manebat. Anno igitur 1915 in magno " *Dictionnaire apologétique de la foi catholique* „ optimum amplissimumque articulum edidit " *Jesus-Christ* „.

Hic articulus, doctrinam, animum, obsequium, totum Patris de Grandmaison repraesentat, estque synopsis quaedam et adumbratio magni illius operis, quod de eodem argumento eodemque sub titulo componere, perficere, perpolire per triginta fere annos ad mortem usque non destitit. Hoc opus adhuc manuscriptum, accuratum (nam v. gr. quaedam capita septies refecit), laboriosum, vigilatumque, ad quod maturandum, ultimis praecipue annis, identidem secedebat, posthumum mox in lucem prodibit (1). Concessit

(1) Interea magnum hoc opus nuperrime typis vulgatum est Parisiis apud bibliopolam Gabrielis Beauchesne, curante P. Iulio Lebreton (Prov. Franc.): *Jésus Christ: sa personne, son message, ses épreuves.* — Duobus magnis voluminibus constat, quae simul plus 1100 paginas complectuntur.

Deus servo fideli ut ultimam manum illi admoveret, ac nonnisi eo perfecto et absoluto illum ad se vocavit.

Mense iunio 1927 morbo decumbere coactus, in nosocomium deferri debuit ut necessaria chirurgi opera uteretur. Quod quidem feliciter contigerat iamque optimus Pater convalescebat: et ecce praeter omnium exspectationem exanimis repertus est die 15 iunii 1927. Postrema ipsius iam aegroti verba de caritate fuerant.

Nec tantum hic scriptor et apologeta: multiplicibus operibus insimul se dabat: in cathedra audientibus, in tribunali confitentibus, in cubiculo consulentibus, victima suae ipsius bonitatis et benevolentiae quam sibi conciliabat, cunctis praesto erat, nulli se negabat. Praecipuam tamen suarum virium ac suorum donorum partem iuventuti impendit, cui sermocinationibus, instructionibus, alloquiis adfuit educator magister et dux.

Certabant in eo mentis et cordis dotes, ut nescires utrae utras vincerent. Erat simplicitas summa cum profunda scientia, dulcedo exquisita cum firmo ingenio, spiritus affabilis et comis, doctrina subtilis cum summa facilitate eam communicandi, sensus psychologicus — in primis religiosus — quam qui maximus, experientia hominum altissima et humani cordis investigatio consummata: haec vero omnia decora pietati et effusae caritati omnes sibi devincienti ministrabant.

Erat etiam vir memoriae prodigiosae ac indefessi laboris; de se ita diffidebat ut sua sibi scripta nunquam probanda viderentur; vivere etiam animarum usui quam multis libris posthumis malebat. Multa tamen sui ingenii monumenta reliquit (1).

De eius meritis testimonio etiam sunt epistolae plurimae missae et mortem eius lamentantes atque ea quae diaria publica eadem occasione scripserunt.

" Benedicamus Domino! „ erat sententia quam P. Leontius de Grandmaison semper usurpabat et pro tessera habebat.

R. I. P.

(1) Tanti viri opera omnia diligenter nuper recensuit P. Ioannes de Geuser (Prov. Franc.) in " *Recherches de Science religieuse* „ tome XVIII (1928), in numero extraordinario " *Mélanges Grandmaison* „ nuncupato, pp. 281–295.

V.

LITTERAE QUAEDAM POSTULATORIAE A PATRE NOSTRO DATAE IN CAUSIS SANCTORUM NON DE SOCIETATE.

I. — Pro introducenda causa beatificationis Papae Pii X.

NOTA. — Occasione Congregationis Generalis XXVII anno 1923 habitae, cum iam a plurimis Episcopis et Religiosorum Ordinum Moderatoribus huiusmodi postulatoriae Litterae Sanctae Sedi porrectae fuissent atque etiam in dies porrigerentur, Patribus Congregatis proposuit Pater Noster num similis epistola nomine Societatis mittenda esset. Quod quidem fere omnibus est probatum et suum quisque nomen vix non omnes apposuere. — Variis autem nec opinatis causis factum est ut hae litterae, perlibenter a causae Postulatore exceptae, tres ferme annos amissae putarentur, donec mense decembri 1926 rursus inventae et mense ianuario 1927 in ephemeride *L'Osservatore Romano*, in italicum sermonem versae, editae sunt.

En tota ratio nostrae quoque morae in iis vulgandis.

Beatissime Pater,

Praepositus Generalis Societatis Iesu infrascriptus simul cum Patribus Congregationis Generalis quae nunc in Urbe celebratur, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, nomine totius Societatis Iesu expetunt et implorant ut supremi Beatorum Caelitum honores sanctissimo Decessori Vestro Pio Papae X post ipsius Beatificationis Causae introductionem, quamprimum decernantur.

Gaudio exsultant quotquot sunt de Sancti Parentis Ignatii familia, animo recolentes, exempla et praeclarissima Pii X facinora, quibus Ille instaurare omnia in Christo totis viribus contendit. Strenue namque Fidem defendit, cuius hostes vel occultos detexit et profligavit; intimum caritatis ignem aluit novoque ardore, frequentem et quotidianam Eucharisticam Communionem

instantissime commendans, inflammandum curavit: illum, inquam, ignem, quo ardens ipse Pontifex, omnium quoque corda ardere cupiebat.

Quid ergo mirum si verus iste Pastor bonus qui, acerrimis inter populos flagrantibus odiis, animam suam (ut omnibus intime persuasum est) pro ovibus posuit, quid mirum, inquam, si Pastor iste a Deo glorificatus sit, magisque in dies coram universo grege olim ipsi commisso glorificetur, miris etiam eo intercedente (ut fertur) a Deo patratis?

Velit igitur Sanctitas Vestra hanc nostram humillimam precem benigne excipere tamquam nostri grati animi pignus erga tantum Pontificem, qui magnam nobis benevolentiam usque ostendit; et inter innumeros eosque vel praeclarissimos viros huius beatificationis causae initium expetentes nos quoque adnumerare dignetur, qui Pium X agnoscimus non modo Beatorum gloria dignissimum, sed et novum Petri Cathedrae honorem ac nobilissimum decus.

Romae, die 20 decembris 1923.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

Sequuntur nomina omnium Patrum Assistentium et fere omnium Electorum et Procuratorum qui Congregationi Generali XXVII intererant.

II. Pro festo S. Teresiae a Iesu Infante ad universam Ecclesiam extendendo.

Beatissime Pater,

Cum maxima manifestetur hodie per totum orbem Christifidelium devotio erga Sanctam Teresiam a Iesu Infante, subscriptus orator, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus enixe expostulat ut, ad maiorem Dei gloriam et christianae ac sacerdotalis pietatis incrementum, Officium et Missam eiusdem Sanctae ad Universalem Ecclesiam extendere dignetur.

Datum Romae, 12 ianuarii 1927.

Humilis Filius
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

III. — Pro introducenda causa Servi Dei Iacobi a Sancto Aloisio, Fratris laici Congregationis a Cruce et Passione Domini.

Beatissime Pater,

Inter primos S. Pauli a Cruce socios, qui eximiae sanctitatis fama piae Sodalitatis a Cruce et Passione Domini nuncupatae exordia illustrarunt, *Frater laicus Iacobus a Sancto Aloisio* merito adnumerandus est. Christianae perfectionis vel in saeculo studiosissimus, a nativa Helvetia ad hanc almam Urbem semel atque iterum venit, sanctitatis praesertim facilius adipiscendae causa. Et revera, non sine mira Dei providentia, evangelicam margaritam bonus hic negotiator Romae invenit, religiosam dico vocationem, quam, omnibus spretis, tam generoso animo secutus est, ut brevi octo annorum spatio dignus inventus sit, qui, sicut olim seraphicus noster Novitius S. Stanislaus Kostka, ipso gloriosissimae Deiparae Assumptionis die anno 1750 magnis onustus meritis ad suprema regna vocaretur.

Eius vitam revolventi mihi videbar fere alterius Sancti Fratris Alphonsi Rodriguez, Fratrum Coadiutorum temporalium nostrae Societatis exemplaris et patroni, prae manibus habere: fidelissima enim in utroque regularum vel minimarum custodia, perfectissima in omnibus obedientia, filialis erga Beatissimam Virginem pietas, aliaeque humilis religiosi laicalis gradus propriae virtutes eluxerunt. Nil igitur mirum quod *Frater Iacobus a Sancto Aloisio* ab ipso Sancto Conditore Paulo a Cruce magni fieret et ut verus Dei servus haberetur, ac statim post obitum claris a Deo, illo intercedente, patratis miraculis, eius nomen et sanctitatis fama longe lateque vulgaretur.

Quare, cum de eius beatificationis causa apud S. Rituum Congregationem inchoanda mox agendum sit, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter peto ut praedicti piissimi Servi Dei causae introductioni eadem Vestra Sanctitas subsignare dignetur. Quod quidem etiam Societati Iesu, quae Dei Famulum pietatis alumnum in Oratorio " Caravita „ aliquamdiu habuit, gratissimum evadet, non solum ob fraternae caritatis vinculum quo Congregationi a Cruce et Passione Domini devincimur, sed insuper quia novum erit obsequium Angelico Iuventutis Patrono hoc eius bis centenario anno exhibitum: siquidem Dei Famulus

Iacobus tanta erga Sanctum Aloisium pietate flagrabat, ut ab eo religiosum cognomen mutuari voluerit.

Sanctitatis Vestrae pedes deosculatus, Apostolicam Benedictionem demisse imploro.

Romae, die 14 aprilis 1927.

Sanctitatis Vestrae
ultimus Filius
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

VI.

QUOMODO SCHOLASTICI NOSTRI IN BELGIO MILITIAM AGANT.

In Belgio, Scholastici nostri, qui militiam agere debent, in castris Reverloo sub proprio Superiore simul morari permittuntur.

Ita vacant militaribus exercitationibus, quae quidem magnam diei partem sibi vindicant, ut tamen spiritualibus, v. g. meditationis, Missae, examinibus, tempus fixum in ordine diurno attribuant, ac minora officia pietatis, temporibus vacuis, obire non praetermittant. Recollectio etiam menstrua primo quoque mensis dominico die habetur. Quam diligentiam remuneratur Deus, qui, praeter hanc optimam animi valetudinem, corporis quoque parem adiungit et inceptis eorum favet. Inter haec, prima sunt studia, quae, per pauculas licet horas in hebdomada, prosequi curant, de quibus etiam examina publica instituunt. Quae ante duos annos Bruxellis habita sunt, prospere omnino cesserunt, cum " maximae „ vel " magnae laudis „ attributione. Hoc autem eo magis mirum apparet, considerata angusta praeparatione; nam propter temporis exiguitatem praelectiones cum latinae tum graecae vel historicae etc. brevissimae sunt, et studium magis *inquirendo* super res tantum propositas et clare indicatas fit: haec porro *inquisitio* mirum quantum cum gustu, et, experientia teste, cum

fructu a Scholasticis perficitur. Scilicet, ut bene notat P. Nadal, haec est ratio Exercitiorum (cf. Annotat. 2^{am}) studiis applicata fructus suos exserens.

Ab auctoritate militari impetratum est ut feriae Natalis Domini prorogarentur, quo tempore in domo nostra Urana Exercitiis spiritualibus octiduanis operam dare solent. Exercitia quaedam militaria, v. g. mensae inservire, officia abiecta suscipere, vigilare etc., religioso ac supernaturali spiritu peraguntur et sic in experimenta et opera ignatiana transmutantur. Hinc fit ut Nostrorum virtus ac disciplina omnibus exemplo sit et ab ipsis ducibus celebretur. Hi obedientiam nostram praecipue suspiciunt. Nec desunt inter Scholasticos, qui commilitones suos quibuslibet caritatis operibus prosequantur. Quosdam religione instruunt, quosdam hominis christiani officia docent; hos de opere Missionum informant; illos in suis studiis adiuvant; unus etiam Exercitiis spiritualibus imbutus est; atque his caritatis operibus praeprimis aliorum Ordinum Religiosos sibi devinciunt. Omnia vero moderatur P. Superior, cui longas horas quotidie vivere licet cum ipsis in castris, donec annus militaris integer, qui est ab augusto ad augustum, feliciter tandem praeterierit.

Hoc anno (1928), nullus Scholasticus militiam agit; lex enim iuvenibus, qui studiis superioribus dant operam, aliquam optionem relinquit in determinando anno quo militiae vacent.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS

A 1 NOVEMBRIS AD 31 DECEMBRIS 1927.

5 nov. — P. Emmanuel Alonso (Prov. Legion.), quaedam puncta Instituti historice illustraturus, hodie advenit et in Curiam tamquam Scriptor cooptatur.

13 nov. — Pater Noster, a Summo Pontifice ad colloquium vocatus, intentiones missionarias sodalibus Apostolatus Orationis singulis mensibus proponendas ab eodem Beatissimo Patre approbatas accipit, eas mox vulgandas curaturus (1).

15-23 nov. — Hospes recipitur RR. DD. Ioannes Baptista Della Pietra S. I. (Prov. Ven.), Archiepiscopus tit. Chalcedonensis et Delegatus Apostolicus in Albania.

18 nov. — P. Henricus Dubois, e Secretariatu pro Missionibus, Belgium petit, die *2 dec.* reversurus.

19 nov. — P. Iosephus Boubée, Moderator generalis delegatus Apostolatus Orationis, in Galliam proficiscitur ad conventum Consilii centralis Congressuum Eucharisticorum internationalium, cuius est membrum : die *1 dec.* est reversurus.

26 nov. — R. P. Ferdinandus Willaert, Provinciae Belgicae Praepositus, quem hospitem a die *16 oct.* habebamus (2), hodie in Provinciam suam revertitur.

27 nov. — Cum in eo simus ut e Collegio Germanico Hungarico in novam Curiae domum abeamus, Superiores et alumni illius Collegii ad suam erga Patrem Nostrum devotionem ostendendam, ei totique Curiae sollemnem gratiarum actionem et commune obsequium exhibere voluerunt. Itaque hora 5 a meridie in aulam maximam Collegii, in qua ab anno 1895 Societatis sive Generales sive Procuratorum Congregationes habitae sunt, convenimus, ibique, concentibus hymnisque interiectis, P. Rochum Rumml (Prov. Austr.), Collegii Rectorem,

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1927, p. 701-707.

(2) V. supra, pag. 102.

et R. D. Samuelem Holik, alumnorum antiquissimum, palam profitentes audimus, quanta Societati, quanta hodierno Generali Praeposito, eidemque olim alumno, Collegium Germanicum debeat. Quibus reponit Pater Noster, ut supra retulimus (1), gratias amplissimas nomine Societatis agens carissimo ac bene meritissimo Collegio, eique faustissima adprecatus ex animo benedicit.

28 nov. — In novam sedem abeunt RR. PP. de Boynes et Welsby cum P. Villaret et tribus Fratribus Coadiutoribus.

29 nov. — Item RR. PP. Barrachina et Mattern cum P. Donnelly et duobus Fratribus.

30 nov. — Pater Noster novam domum petit; itemque PP. Azzolini, Ciáurriz, Corradi, Höss cum tribus Fratribus.

1 dec. — In novam domum commigrant PP. Demaux-Lagrange, Battiston, Coemans et duo Fratres Coadiutores.

2 dec. - Huc advenit R. P. Nalbone, qui Vicesuperior domus, etiam in hac nova sede, esse perseverat; item P. Alonso et Fr. Del Vecchio excipimus.

5 dec. — P. Gulielmus Kratz (Prov. Germ. Inf.), qui adhuc in Collegio Pio Latino Americano degebat, deinceps nobiscum morabitur, Curiae tamquam Scriptor adnumeratus.

7 dec. — E Collegio Germanico huc se recipiunt P. Ioannes M. Restrepo, qui vices Ministri ibi gerebat, et reliqui Fratres Coadiutores, qui transferendae suppellectili operam dederant.

8 dec. — Pater Noster totam domum aqua lustrali aspergit eique benedicit; omnibus autem coram simulacro SS. Cordis Iesu convenientibus, idem Pater Noster hanc Societatis Curiam divino Cordi mancipat et devovit in haec verba:

> Cor Iesu Sacratissimum, Rex et centrum omnium cordium, ad pedes provoluti tui simulacri quotquot sumus Patres ac Fratres Curiae Praepositi Generalis minimae tuae Societatis, volumus Tibi novam hanc domum nosque omnes denuo peculiariter consecrare, ut tu solus in ea regnes, tua sanctissima voluntas in ea semper et in omnibus adimpleatur, et regnum tuum ex hac domo per universum orbem terrarum pro tenuitate nostra propagetur, intercedente Beatissima Matre tua, Immaculata Virgine Maria.
>
> ℣. Cor Iesu flagrans amore nostri.
>
> ℟. Inflamma cor nostrum amore Tui.
>
> Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. — Amen.

(1) V. supra, pag. 118.

Itaque post quinquaginta quatuor annos, quibus Curia propriis aedibus carebat, hodie sub auspiciis Beatissimae Virginis Immaculatae plenam novae sedis sibi a Deo concessae possessionem accipit.

9-16 dec. — Pater Noster annua Exercitia Spiritualia peragit.

9 dec. — R. P. Henricus Carvajal (Prov. Legion.), Visitator Provinciae Lusitanae designatus, quem hospitem a die *24 oct.* habebamus (1), hodie in Hispaniam proficiscitur, a Lusitanis domibus ibi exstantibus visitationem incepturus.

20 dec. — P. Iosephus Demaux-Lagrange, Societatis Secretarius, a Patre Nostro in Galliam mittitur ad quaedam negotia componenda: die *5 ian. 1928* est reversurus.

20 dec. — P. Augustinus Wand (Prov. Missour.), bibliothecae nostrae Praefectus designatus, hodie advenit et in Curiam cooptatur.

28 dec. — Adest P. Ioannes Kramers (Prov. Neerl.), quem aliquot dies hospitem habebimus.

Reliqua ad alium fasciculum remittuntur.

II.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae.

2 mart. 1927. — RR. DD. Michael d'Herbigny S. I. (Prov. Camp.), Episcopus titularis Iliensis, qui Commissionis Pontificiae pro Russia Consultor specialis die 20 iun. 1925 renuntiatus erat, deinceps eiusdem Commissionis Relator dicendus est (2).

Decembri 1927. — P. Felix M. Cappello (Prov. Rom.), Iuris Canonici in Pontificia Universitate Gregoriana Lector, nominatus est Professor scientiae canonico-archivisticae in cursu speciali Archivis Vaticanis adnexo: quo in magisterio successit R. P. Iustiniano Serédi O. S. B., qui per illos ipsos dies Archiepiscopus Strigoniensis et Hungariae Primas ac S. R. E. Cardinalis renuntiabatur.

16 febr. 1928. — RR. DD. Ludovicus Van Hoeck S. I. (Prov. Belg.), Episcopus Patnensis, ab hac sede ad novam Dioecesim Ranchensem in Indiis transfertur.

18 febr. — R. P. Stephanus Fourcadier (Prov. Tolos.), Superior regularis Missionis Tananarivensis in insula Madagascar, eligitur Episcopus titularis Hipponensium Diarritorum (Bizerte) et Vicarius Apostolicus

(1) V. supra, pag. 102.

(2) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 112.

de Tananarive (1), pro RR. DD. Henrico de Saune S. I. (Prov. Tolos.) qui illo munere, Sancta Sede consentiente, ob senescentem aetatem se abdicavit, quamquam in eadem Missione degere perget. — Die *31 maii* RR. DD. Fourcadier consecrationem episcopalem recepit Ruthenis (Rodez), in patria dioecesi, ab eiusdem urbis Episcopo.

28 mart. — R. P. Silvanus Van Hee (Prov. Belg.) eligitur Episcopus titularis Possalensis et primus Vicarius Apostolicus de Kwango in Congo Belgico (2); nam haec Missio Kwangensis, quae hucusque Praefectura Apostolica erat, nuper ad Vicariatus Apostolici dignitatem evecta est.

31 mart. — P. Felix M. Cappello (Prov. Rom.), in Pontificia Universitate Gregoriana Iuris Canonici Lector, renuntiatur Consultor Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali (3).

4 maii. — R. P. Ioachimus Lima (Prov. Lusit.), Superior regularis Missionis de Belgaum seu Goanae, ex conventione inter Sanctam Sedem et Rempublicam Lusitaniae nuper inita, Archiepiscopus Bombayensis nominatur (4).

18 maii. — R. P. Ioannes Ross (Prov. Germ. Inf.), Superior regularis Missionis Iaponicae, renuntiatur Episcopus titularis Tabalensis et Vicarius Apostolicus de Hiroshima in Iaponia (5).

Nominationes Superiorum Maiorum.

Administrationem suscipiunt:

2 febr. 1927. — R. P. Iosephus Morrison, Missionis Guianensis Britann. (Prov. Angl.) Superior regularis.

13 nov. — R. P. Franciscus Xav. Biró, Praepositus Provinciae Hungariae.

27 nov. — R. P. Carolus Martínez, Missionis Peruvianae (Prov. Tolet.) Superior regularis.

8 dec. — R. P. Petrus Lenz, Praepositus Brasiliae Meridionalis ex Viceprovincia in Provinciam hodie evectae.

8 dec. — R. P. Bernardus Bley, Viceprovincialis in Regione Germaniae Orientalis (Prov. Germ. Infer.).

8 dec. — R. P. Prudentius De Clippeleir, Missionis Aequatorianae (Prov. Baet.) Superior regularis.

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XX (1928), pp. 77, 110.
(2) *Acta Ap. Sedis*, vol. XX (1928), pp. 141, 146.
(3) *Acta Ap. Sedis*, vol. XX (1928), p. 163.
(4) *Acta Ap. Sedis*, vol. XX (1928), pp. 130 (art. III), 146.
(5) *Acta Ap. Sedis*, vol. XX (1928), pag. 195.

22 dec. — R. P. Bruno Wolnik, Missionis de Broken Hill (Prov. Pol. Min.) Superior regularis.

27 dec. — R. P. Hermannus Kitselaar, Praepositus Provinciae Neerlandicae.

15 ian. 1928. — R. P. Franciscus Xav. Hayler, Praepositus Provinciae Germaniae Superioris.

28 ian. — R. P. Paulus Bornet, Missionis de Sien-hsien (Prov. Camp.), Superior regularis.

19 mart. — R. P. Zeno Arámburu, Missionis Sinensis de Wuhu (Prov. Castell.) Superior regularis.

22 mart. — R. P. Stanislaus Cisek, Praepositus Provinciae Poloniae Minoris.

28 mart. — R. P. Ladislaus Jankiewicz (Prov. Pol. Min.), Praepositus Provinciae Poloniae Maioris et Mazoviae.

17 maii. — R. P. Gulielmus Hingston, Praepositus Viceprovinciae Canadae Superioris.

Nova Provincia.

8 dec. 1927. — Decreto Patris Nostri die 17 octobris lato et hodie promulgato, Viceprovincia Brasiliae Meridionalis ad veri nominis Provinciam evehitur (1).

Mutationes in Provinciarum ac Missionum administratione.

30 oct. 1927. — Residentia Chikunensis a Missione Salisburiensi Provinciae Angliae ad Missionem de Broken Hill Provinciae Poloniae Minoris inde a die 13 novembris transcribenda edicitur (2).

8 dec. 1927. — Decreto Patri Nostri die 26 novembris lato, tota Dioecesis Misnensis a Provincia Germaniae Superioris seiungitur et Provinciae Germaniae Inferioris tribuitur (3).

8 dec. 1927. — Litteris Patris Nostri die 3 decembris datis, administratio Provinciae Germaniae Inferioris ita dividitur ut, una integraque manente Provincia, Germania Orientalis Viceprovinciali Berolini residenti proxime regenda committatur (4).

19 mart. 1928. — Decreto Patris Nostri die 2 februarii lato et hodie promulgato, Dioecesis Oklahomensis in Statibus Foederatis Americae a Provincia Neo Aurelianensi seiungitur et Provinciae Missourianae tribuitur.

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 694–695, 726–728. — V. etiam supra, pag. 121.
(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 728–729.
(3) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 729-730.
(4) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pp. 731–734.

Visitationes Provinciarum ac Missionum.

Provincia Lusitana a mense decembri 1927 ad mensem iunium 1928 a R. P. Henrico Carvajal (Prov. Legion.). visitatur.

Missionem de Belize in Honduras Britannico (Prov. Missour.) visitavit R. P. Michael I. O' Connor, eiusdem Provinciae, a die 1 ianuarii ad 7 aprilis 1928.

Missionem Bataviae in insula Iava (Prov. Neerl.) inde a mense ianuario 1928 visitat R. P. Petrus Willekens, ex eadem Neerlandica Provincia.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO 1928

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum: Sac.	Augmentum: Schol.	Augmentum: Coad.	Augmentum: Univ.
Italiae	Romana	138	74	66	278	3	7	3	13
	Brasiliae Centr. (Vicepr.)	48	55	27	130	—	1	— 1	—
	Neapolitana	120	102	71	293	8	9	2	19
	Sicula	111	73	80	264	—	4	—	4
	Taurinensis	171	75	53	299	1	3	2	6
	Veneta	215	106	147	468	— 4	9	6	11
	Socii Assist. Italiae	**803**	**485**	**444**	**1732**	**8**	**33**	**12**	**53**
Germaniae	Austriae	193	75	108	376	— 2	6	8	12
	Brasiliae Meridionalis	115	57	74	246	— 3	13	7	17
	Cechoslovaca (Vicepr.)	101	59	73	233	2	— 2	1	1
	Germaniae Inferioris	405	233	216	854	9	— 2	9	16
	Germaniae Superioris	235	146	133	514	— 3	7	6	10
	Hungariae	88	83	62	233	—	— 2	—	— 2
	Iugoslaviae (Vicepr.)	70	33	57	160	5	— 3	—	2
	Neerlandica	303	178	122	603	— 1	10	— 2	7
	Poloniae Mai. et Mazov.	84	107	86	277	— 3	5	1	3
	Poloniae Minoris	138	134	133	405	— 2	5	10	13
	Socii Assist. Germaniae	**1732**	**1105**	**1064**	**3901**	**2**	**37**	**40**	**79**
Galliae	Campaniae	457	216	120	793	—	20	3	23
	Franciae	422	180	135	737	— 4	26	— 4	18
	Lugdunensis	390	171	146	707	— 5	10	— 3	2
	Tolosana	408	148	113	669	—	— 2	— 1	— 3
	Socii Assist. Galliae	**1677**	**715**	**514**	**2906**	**— 9**	**54**	**— 5**	**40**
Hispaniae	Aragoniae (1)	396	257	323	976	— 15	— 17	— 11	— 43
	Argentino-Chilensis	161	157	140	458	1	15	— 6	10
	Baetica	169	143	123	435	1	9	5	15
	Castellana	356	244	287	887	6	5	7	18
	Columbiana	93	116	119	328	— 4	— 2	10	4
	Legionensis	268	213	211	692	9	23	13	45
	Lusitana	182	94	122	398	— 3	9	3	9
	Mexicana	202	77	82	361	2	8	4	14
	Toletana	130	134	133	397	6	9	7	22
	Socii Assist. Hispaniae	**1957**	**1435**	**1540**	**4932**	**3**	**59**	**32**	**94**
Angliae	Angliae	452	243	132	827	— 4	14	5	15
	Belgica	765	497	192	1454	—	33	— 1	32
	Canadae Inferioris	184	167	108	459	8	2	2	12
	Canadae Sup. (Vicepr.)	47	101	29	177	1	7	4	12
	Hiberniae	256	192	60	508	12	7	— 2	17
	Socii Assist. Angliae	**1704**	**1200**	**521**	**3425**	**17**	**63**	**8**	**88**
Americae	Californiae	258	241	99	598	7	4	4	15
	Marylandiae-Neo Ebor. (1)	427	467	105	999	29	47	7	83
	Missouriana	605	526	164	1295	21	31	2	54
	Neo Aurelianensis	182	100	43	325	2	— 10	—	— 8
	Novae Angliae	172	317	34	523	20	6	5	31
	Socii Assist. Americae	**1644**	**1651**	**445**	**3740**	**79**	**78**	**18**	**175**
	Universi ineunte a. 1928	**9517**	**6591**	**4528**	**20636**	**100**	**324**	**105**	**529**
	» » » 1927	9417	6267	4423	20107				
	Augmentum	**100**	**324**	**105**	**529**				

(1) Die 17 apr. 1927 ex Prov. Aragoniae 43 Socii cum Missione Philippina ad Prov. Marylandiae N. E. transcripti sunt.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO 1928

MISSIONES		PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA						
Albania		Veneta	**19**	**4**	**20**	**43**
IN ASIA						
Armenia *(dispersa)*		Lugdunensis	4	—	2	6
Ceylan:	*Gallensis*	Belgica	25	9	6	40
»	*Trincomaliensis*	Campaniae	20	3	5	28
India:	*Bombayensis-Poonensis*	Aragoniae	63	38	27	128
»	*Calcuttensis*	Belgica	180	72	26	278
»	*Goana*	Lusitana	20	6	5	31
»	*Mangalorensis*	Veneta	52	24	19	95
»	*Patnensis*	Missouriana	18	12	2	32
»	*Trichinopolitana*	Tolosana	161	72	38	271
Iaponia:	*Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	22	3	3	28
Iava:	*Bataviae*	Neerlandica	68	35	8	111
Philippinae:	*Mindanao*	Maryl.-N. E.	40	—	25	65
Sinae:	*Ankingensis*	Legionensis	23	3	7	33
»	*Hong-kong (inchoata)*	Hiberniae	6	—	—	6
»	*Hwaisensis*	Taurinensis	18	2	3	23
»	*Nankinensis*	Franciae	129	26	38	193
»	*Shiu-hing*	Lusitana	12	5	4	21
»	*Sien-hsien*	Campaniae	72	27	20	119
»	*Wu-hu*	Castellana	29	3	5	37
Syria		Lugdunensis	83	17	38	138
		Universi	**1045**	**357**	**281**	**1683**
IN AFRICA						
Aegyptus		Lugdunensis	30	—	10	40
Africa Merid:	*Broken Hill* (1)	Polon. Min.	11	—	14	25
»	*Coloniae Capitis.*	Angliae	18	—	8	26
»	*Salisbury* (1)	»	44	1	24	69
Congo:	*Kwangensis.*	Belgica	59	19	17	95
Madagascar:	*Fianarantsoa*	Campaniae	44	3	10	57
»	*Maurice et Réunion*	Tolosana	6	—	2	8
»	*Tananarivensis*	»	48	4	9	61
		Universi	**260**	**27**	**94**	**381**
IN AMERICA						
Inter aborigenes:	*Alaskana*	Californiae	22	—	10	32
»	*Caughnawagensis*	Canad. Inf.	3	—	3	6
»	*Dakotae Meridion.*	Missouriana	13	3	22	38
»	*Indicae Canad.*	Canad. Sup.	18	2	9	29
»	*Montium Saxos.*	Californiae	19	1	11	31
»	*Tarahumarensis (disp.)*	Mexicana	9	1	9	19
Guiana Britann.		Angliae	21	—	—	21
Honduras Britann.:	*Belize*	Missouriana	25	6	5	36
Iamaica.		Maryl.-N. E.	19	3	2	24
		Universi	**149**	**16**	**71**	**236**
IN OCEANIA						
Carolinae, Marianae et Marshall		Baetica	**18**	—	**21**	**39**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1928			**1491**	**404**	**487**	**2382**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1927			1463	362	480	2305
Augmentum			**28**	**42**	**7**	**77**

(1) Decreto die 30 oct. 1927 dato, a die 13 nov. 1927 antiqua Missio Zambesiana divisa est in duas: Broken Hill et Salisbury.